
Sic propius otiis consuluit
Anno 1765

IOSEPHI· ANT· ALDINII
CAESENATIS
DE· VARIA LATINAE· LINGVAE FORTVNA DISSERTATIO.



CAESENAE. CIƆIƆCCLXXV.

TYPIS BLASINII
PRAESIDVM FACVLTATE

Nil equidem durare diu sub imagine eadem
Crediderim; sic ad ferrum venistis ab auro
Saecula, sic toties versa est Fortuna......

Ovid. Metamorph. lib. xv.

IOSEPHI. ANT. ALDINII

LATINAE LINGVAE

DISSERTATIO.

CAESENAE. CIↃIↃCCLXXV.

TYPIS BLASINII

PRAESTANTISSIMO. VIRO
OMNI. Q. LAVDE DIGNISSIMO
IOSEPHO. BONIFACIO
LOCATELLIO. VRSINIO
PATRICIO: CAESEN. ANCONIT. SPOLET
MARCHIONI. EQVITI
SScrum. CAESS. MM. REGIAE. Q
APOSTOLICAE. A. CVBICVLO
TOTIVS. VMBRIAE
QVAESTORI. CET.

Iosephus Antonius Aldinius S. P. D.

QUum primum opusculum hoc, quod de varia latinae linguae fortuna exercitationis tantum caussa ab initio susceperam, in vulgus edere destinavi, illud in mentem venit, quod iis evenire solet, qui elucu-

brationes suas evulgare desiderant, ut alicuius nempe lectissimi viri nomine insignitae prodirent, cui ut patrono, ac veluti tutori perpetuo commendarentur. Tunc enim vero plerique sese mihi obtulerunt animo, qui virtute, dignitate, meritis excellentes, pro variis in me conlatis beneficiis, proque ea benignitate, qua me semper, meaque respexerunt, plurimum iis me debere sentio; neque hanc fortasse officii, atque observantiae meae, perexiguam licet, despexissent significationem. At quid foris quaerendum, mecum ipse reputabam, quod domi abundat? Nonne Patria haec nostra iis floret, adfluitque viris, qui doctrina, dignitatibus, honoribus ita excellunt, ut ea cum illustrioribus Civitatibus iure possit contendere? Quam multos heic enumerare possem, qui vetustissimis nostrae Civitatis laudibus, et decus, et ornamentum, et gloriam addunt maximam, nisi Optimus, Maximus, Sanctissimusq. Pontifex PIVS VI., *quem nuper aeterno rerum Moderatori ad omnium dignitatum culmen extollere libuit, instar omnium esset, atque eam huic*

Urbi

Urbi peperisset gloriam, quam nulla umquam abolere poterit vetustas! Hos inter tot tantosque praeclarissimos viros Te liceat modo Ioseph Bonifaci Locatelli *eques praestantissime commemorare, qui omni virtutum genere cumulatissimus; doctrina, pietate, meritis insignis; eam nihilosecius tot inter dotes, ac virtutes humanitatem, atque adeo comitatem conservas: ita benigne, ac liberaliter, quod tui proprium est, et praeclarissimae Familiae tuae semper fuit, agere soles, ut non is, qui reipsa et generis nobilitate, et honorum amplitudine es; verum amicus, familiaris, et paene propinqua cognatione coniunctus unicuique videaris. Qui me praesertim ea semper prosequutus es humanitate, ac benevolentia: ita in maximis molestiis, quibus veluti fluctibus, et procellis iactatus sum, consilio, colloquio, litteris humanissimis sublevasti, atque erexisti, ut in iis solatii plurimum, ac veluti perfugium quoddam mihi praebitum esse videretur. Qui unus ita litterariae rei in Patria consuluisti, ut quum animadverteris, probeque perspexeris pa-*

rum, aut paene nihil progressus in scientiis, et liberalibus disciplinis fieri posse sine libris, et Patriam hanc nostram publica carere bibliotheca, tute ipse domi tuae nec sumtui parcens, nec diligentiae eam instituisti, quae copia, delectu, et elegantia librorum, quamcumque privati equitis bibliothecam aequiparare, quinimmo superare valeat; idque quum liberaliter adgressus es, Te potius civium tuorum, quam propriae utilitati ac commoditati consulere professus es, quod certe maxima, ac praeclarissima est amoris in Patriam, et excellentissimae virtutis significatio. Atque utinam non id contigisset, ut tamdiu a Patria abesses, nam ei iam nunc magna et antiquorum, et recentiorum operum, Mss. et veterum monumentorum facta esset accessio; quorum tamen haud expers illa quidem est, ex quo praesertim mihi contigit ut tot tantisque monumentis, & rarissimis libris refertissimam bibliothecam compararem, ac Caesenam transferrem, quibus rarioribus, ac pretiosioribus suam locupletare per mihi gratum, perque iucundum fuit. Quid memorem

sin-

ſingularem in litteras, litteriſque excultos viros amorem? Quid chriſtianam tuam pietatem, quam utinam plures imitari vellent, omnes autem velle deberent? Quid in pauperes miſericordiam? Quid tot praeclaras virtutes, quae non tantum a diligenti librorum lectione, verum a nativa quadam facultate, animique praeſtantia dimanare ſolent, unde fit ut communis Patriae, ac bonorum omnium amor ſis, ac merito habearis: atque heinc factum puto, ut tantum tui deſiderium reliqueris quum e Patria diſceſſum paraſti, tantaque ſit tui reditus expectatio; quod non ſecus eveniſſe conſtat de praeclariſſimo Fratre tuo FRANCISCO MARIA LOCATELLIO, *quem honoris cauſſa nomino, de quo pluſne laetitiae Urbs noſtra ceperit, quum pro meritis eum viderit ad Epiſcopalem Spoleti Cathedram evehi, an moeroris, quum ſe tanto viro, tam pio, tam magnifico viduari ſenſerit, non ita facile definiverim. Non heic memorem praeclaros Locatelliae Gentis Maiores, non opes, & facultates, queis ſaepe etiam immerentes abundant; non*

ce-

cetera bona, quorum maximam partem Fortuna quasi iure suo sibi vindicat. Quae tua sunt commemoro haud tibi quidem cum multis communia; quibus, nisi obstaret singularis modestia tua, humanarumque rerum contemtus, adeo enitere valeres, ut multis superior, nulli certe secundus merito posses existimari. His ego tuis fretus dotibus, ac virtutibus, perexiguum hoc ingenioli mei munusculum summa cum animi observantia ad te mittere ausus sum, honori dedicans, ac meritis illud tuis: quod quum pro adolescentibus latinarum litterarum cupidis principio elaboraverim, si id adsequar, ut a Te, tuique similibus semel percurratur, me honestatum magnopere, et gratiam laboribus meis satis amplam relatam putabo.

Caesenae ex Museolo nostro Nonis Martiis 1775.

C E N S U R A

Reverendiſſimi D. Franciſci Antonii Tadini S. Theologiæ Doctoris, Examinatoris pro-ſynodalis, Canonici Pœnitentiarii Eccleſiæ Cathedralis Cæſenæ, ac Reviſoris Epiſcopalis &c.

J*Uſſu Illuſtriſſimi Domini Joannis Baptiſtæ Bartolucci Vicarii Generalis Cæſenæ Diſſertationem, cui titulus:* De varia latinæ linguæ Fortuna *a Joſepho Antonio Aldinio primario in hac Univerſitate eloquentiæ Profeſſore, nec non J. V. D. conſcriptam diligenter perlegi, nihilque, quod aut Catholicæ Fidei, aut bonis moribus adverſetur in ea reperi; quinimmo elegantioris ſtyli, ac romanæ, græcæque eruditionis plurimum obſervare licuit, ut inde veteris doctrinæ uberrimam ſegetem a lectoribus colligi poſſe judicaverim. Quapropter librum, qui & utilitatem, & jucunditatem afferre valeat typis mandandum cenſeo, ut inde latinarum litterarum ſtudio unicuique ſcientiarum, ac liberalium artium cultori tam neceſſario adoleſcentes litteris addicti magis incendantur.*

Cæſenæ Kal. Martii 1775.

Franciſcus Antonius Canonicus Tadini.

I M P R I M A T U R.

J: B. Bartolucci Vic. Gen.

C E N S U R A.

Admodum Rev. P. Mag. Franciſci Antonii Sabbatani Religionis Tertii Ordinis S. Franciſci in Bononienſi Provincia Miniſtri Provincialis, Examinatoris Generalis, ac S. Officii Inquiſitionis Cæſenæ Conſultoris &c.

M*Andato admod. Rever. P. Mag. Thomæ Benedicti Marcheſi Vicar. S. Officii Civitatis Cæſenæ Librum hunc inſcriptum:* De varia latinæ linguæ Fortuna *vigili cura, eleganti ſtylo, ac eruditione elaboratum libenter perlegi; cumque in eo nihil repererim Catholicæ Fidei, morumque Sanctitati repugnans, illum prelo ob ejus utilitatem dignum eſſe cenſeo.*

Fr. Franciſcus Antonius Sabbatani Miniſt. Provincialis Tertii Ordinis.

I M P R I M A T U R.

Fr. Th. B. Marcheſi Vic. S. Officii.



DE VARIA
LATINAE LINGUAE FORTUNA
DISSERTATIO.

I. SCripturus varios antiquissimae, nobilissimaeque linguae eventus, operae pretium me facturum existimo, si a primordio rem exordiar, eiusque originem, quantum heic opus esse videbitur, investigare, ac veluti expiscari contendam. Haud inde tamen rem censeo repetendam, ut ad babylonicam linguarum permixtionem referatur, quum res obscura nimis sit, atque explicatu difficilis; quumque praesertim primigeniam eam fuisse, unam scilicet ex iis duabus & septuagin-

ta, (*a*) in quas divisa est prima illa, quaecumque fuerit, qua mortales omnes utebantur, quum *terra erat unius labii*, (*b*) non satis constet inter eruditos. Rem periculosae plenam aleae fortasse adgredior, quippe quum ab saeculis bene multis exordiendum sit, & ante Urbem conditam nullum paene extet monumentum, ex quo clare aperteque dignosci valeat non solum quid a regibus illis, qui in Agro Laurente, aut Latio regnarunt, gestum sit; verum ne quibus vocibus quidem, aut loquendi modis uterentur. Quis enim aut Iani, aut Saturni, aut Aboriginum gesta enarrare ausit, aut quinam hi fuerint reges, & populi, unde orti, e quibus editi, quum nihil certi de iis statui possit, & ea, quae de iis circumferri solent, aut commentitiis fabulis obruta sint, aut ab nugatorum commentis, saepe a graecis dubiae fidei scriptoribus proficiscantur, & Romani, qui de iis quidquam prodiderunt memoriae, aut serius scripserint, aut nullis firmis, gravibusque testimoniis suffulti, nonnisi per coniecturas, & traditiones res adfirmare potuerint? Non ideo

(a) *Bochartus tamen putat non 72. sed vix 30. eas linguas fuisse.*
(b) *Genes. XI. 1. 2.*

ideo tamen animum despondendum puto, quum venia res obscuras, & in penitissimis antiquitatis recessibus abditas pertractanti facile impetrari possit; quumque praesertim animo statuerim cursim, & per summa tantum capita rem transigere, cetera vero aut obiter, aut nisi quantum ad rem praesentem conducere valent, percensere; neque tamen, aut quorumdam e nostris, qui stricte nimis, ac ieiune hoc argumentum pertractarunt, aut exterorum vestigiis inhaerere omnino libuit, qui, quum latius pervagari voluerint, aut litterariam historiam perscribere visi sunt, aut nimio fortasse suae gentis amore abrepti, ut saepe fit, latinae linguae originem ad propriam tantum nationem referendam putarunt. Horum tamen elucubrationes, quas quidem doctissimas, ac perutiles esse nemo inficiabitur, quia inter suos ut plurimum editae, haud ita facile sunt parabiles, & adolescentibus nostris obviae, quorum praesertim utilitati hoc qualicumque labore consulere studuimus; quum neque inutile, neque iniucundum fore putemus iis, ortus, progressus, occasum, ac veluti παλιγγενεσίαν illius linguae internoscere, cuius studio a teneris paene unguiculis operam navare, si quid imposterum in scientiis, optimisque artibus cupiunt proficere, coguntur.

A 2 II. Ut

II. Ut igitur aliquid certi de latinae linguae origine ſtatui poſſet, quinam vere fuerint primi Italiae coloni ſtatuendum prius videretur; verum, licet hac ſuper re diu multumque a viris doctiſſimis diſputatum ſit poſterioribus praeſertim hiſce temporibus; lis tamen fortaſſe adhuc ſub iudice eſt, & quid conſilii capiendum, aut cui potius ſubſcribendum iure ambigitur. Cui enim non noti Dempſteri, Maffeii, Gorii, Mazochii, Paſſerii, Lamii, Oliverii, Durandii, qui res etruſcas, italicaſque origines aut pertractarunt, aut certe adtigerunt, deque Etruriae populis tam acuta, tam erudita protulerunt? Cui non notus Bardettius, qui in ſtatuendis primis Italiae colonis pro Liguribus, Umbris, Tauriſcis, aliiſque, quos circumpadanos adfirmat, tam acriter pugnavit? Cui non notus Guarnaccius, doctiſſimus ille Praeſul, qui pro Tyrrhenis, Aboriginibus, Pelaſgis, Oenotriiſque ſtetit, quos omnes etruſcos diverſo nomine fuiſſe exiſtimat? Is enimvero tanto eruditionis adparatu, veterum monumentis, & perpetuis antiquiſſimorum ſcriptorum teſtimoniis rem peregit, ut omne tuliſſe punctum exiſtimari poſſet, niſi aequo clarius, pace tanti viri dixerim, in tenebris aliquando ſibi perſpicere videretur. Numne propterea a Liguribus,

ribus, Umbris, & Taurifcis; aut a Tyrrhenis, Aboriginibus, Pelafgis, aliifque populis latinae linguae originem repetendam quis libere adfirmabit? Prafchius *fancte adfirmat* (a) *fe nullum hactenus vocabulum latinum tentaviffe, quin radice teutonicum repererit*. Etrufci latinae linguae ortum fe dediffe confirmant; Graeci fuam vindicant; permulti alii pugnant inter fe, atque contendunt. Mihi quidem fic ftatuendum videtur, non ab his, aut illis populis vetuftiffimam hanc linguam duxiffe originem; verum & Pelafgos, & Arcadas, & Etrufcos, & Celtas, & populos alios quamplurimos ad eam fenfim efformandam, & augendam confluxiffe, ac veluti fymbolam contuliffe. Ponamus enim populos illos, qui in Italia vixerunt regnantibus Saturno, Iano, aut Camefe, quos Aborigines, aut Indigenas adpellare libuit, barbaros fuiffe, rudes, & incultos, fine legibus, fine Diis, fine tectis, in agris, filvifque belluarum more degentes, & lingua aeque barbara, & inculta, quam *cafcam*, aut veterem italicam adpellare licet, loquutos effe. Ponamus Arcadas, Pelafgos, Achaeos, Oenotrios, Samios, aliofque grae-

(a) *In Act. Lypf. An. 1786. Menf. Iul.*

cos in Italiam navigasse, urbes condidisse, & colonias deduxisse, quod patet ex Thucydide, Herodoto, & aliis, certum est hosce populos nonnihil graecae linguae primae illi antiquissimae admiscuisse. Ponamus Celtas, sive antiquissimos Gallos, aut Germanos saepe cum Italis bella, commercia, hospitia habuisse; immo regnante Albae Silvio Postumo Ascanii fratre in Italiam irruisse, &, quum neminem, qui obsisteret, offendissent, magnae illius partis potitos esse, ut veteres narrant historici; quis plurimas in Italiam germanicas voces eos detulisse inficiabitur? Ponamus Aeneam fato profugum cum Troianorum classe in Italiam adpulisse, ibique regnum adeptum esse, ut ex Poetis, & Historicis permultis notum est; quis non videt pauxillulum quoque phrygiae linguae antiquae illi barbarae admixtum esse? (a) Ponamus tandem Etruscorum opes ante romanum Imperium

(a) Nolim tamen succensere quemquam, qui eruditissimum Bochartum legerit adserentem se phrygias cum romanis contulisse voces, neque ullum in his phrygium reperisse vocabulum, quod quidem eorum videtur suffragari opinioni, qui contendunt Aeneam nunquam fuisse in Italia, quos inter Dio Chrysost. orat. 11. cui titulus: τρωϊκὸς, ὑπὲρ τοῦ Ἴλιον μὴ ἁλῶναι. Item Vincent. Gravina de lingua latina ad Emmanuelem Martinum, & alii.

perium late terra, marique patuisse, ut ait Livius; saepe propter scientias, ac liberales disciplinas, quibus maxime florebant, in Latium accitos esse; saepe etiam propter vicinitatem connubia, hospitia, commercia iniisse; nonne credibile est rudes, incultosque populos Etruscorum voces, quos veluti magistros suspiciebant, adscivisse, ac sibi quodammodo vindicasse? Quum autem Latinus Rex Fauni, & Maricae Nymphae filius regnare coepit, non solum Aboriginum, sed & Laurenti nomen cessavit, & omnes Latini adpellari coepti sunt, cultioresque sunt facti, & ipsa eorum lingua, antiqua illa scilicet cum graeca, etrusca, celtica, aliisque permixta ad latinam formam vergere coepit, & latina adpellari. Quare, si recte animadvertere volumus, neque pelasgicus, neque etruscus, celticus, aut alius dicendus est primorum illorum sermo, sed ex omnibus his, pluribusque aliis conflatus iuxta populorum diversitatem, qui in Latium invaserant; quod etiam ex Dionysio Halicarnasseo patet, quum disertis ait verbis (a) *nec prorsus barbarum, nec prorsus*

(a) Ῥωμαῖοι δὲ φωνὴν μὲν οὔτ᾽ ἄκρως βάρβαρον, οὐδ᾽ ἀπηρτισμένως Ἑλλάδα φθέγγονται, μικτὴν δέ τινα ἐξ ἀμφοῖν,

sus graecum fuisse, sed mixtum, qui valde ad aeolicam dialectum accedebat. Haud secus profecto ac de italico, quo nunc utimur, dici potest, qui licet magna ex parte a latino proficiscatur; gallicum tamen, gotthicum, germanicum, & alios ad eum efformandum symbolam contulisse dicendum est; quod facile ex iis perspici potest, qui italicarum vocum origines pervestigarunt, Octavio praesertim Ferrario, Aegidio Menagio, & aliis.

III. Longissimo autem illius temporis intervallo, quo post Latinum & Aeneam in Latio regnarunt Ascanius, Silvius, Latinus alter, Capetus, Tiberinus, Proca, & alii ad Romulum usque, quorum, praeter nomina, nulla paene extat memoria, credibile est Latii, eiusque civitatum incolas haud prorsus barbaros & incultos fuisse, sed aliquas habuisse leges, cultum, ac religionem, & aliquam proinde litterarum cognitionem; quod satis evincit quod ait Symmachus: (*a*) Aborigines scilicet in tabulis ligneis, (*b*) & corticibus scri-

ἀμφοῖν, ἧς ἐστιν ἡ πλείων Αἰολὶς τοῦτο μόνον ἀπολαύσαντες ἐκ τῶν πολλῶν ἐπιμίξεων, τὸ μὴ πᾶσι τοῖς φθόγγοις ὀρθοεπεῖν. *Lib. I. sub finem*

(a) *Lib. IV. ep. 28. edit. Paris.* 1580.

(b) Ἐν σάνισι ξυλίνοις, *ait Tzetses Chiliad. p.* 230.

ſcriptitare ſolitos, quae longiſſimi temporis iniuria periere. Quum iam tum a Latini, & Aeneae temporibus veterem exuerint barbariem; conſtat enim Aeneam Penates Deos, & fortaſſe nummos iam ante bellum Troianum iuſſu Theſei cum bovis effigie percuſſos (*a*) in Latium intuliſſe. Quum novos mores, artes, inventa induxerint, eaſque omnes ſubierint viciſſitudines, quibus longo temporis intervallo neceſſario obnoxia eſſe debent regna, & nationes. Quum denique heinc Etruſcos, illinc Graecos in omni diſciplinarum genere peritiſſimos propinquos, & finitimos habuerint, e quibus certe aliquam litterarum notitiam haurire poterant. Quod ſi verum eſt, ut maxime naturae conſentaneum videtur, illud quoque manifeſtum eſt *bilingues* eos fuiſſe, ut de Brutiis aiunt Ennius, & Lucilius; linguam ſcilicet calluiſſe graecam, quam a Pelaſgis, Arcadibus, aliiſque Graeciae populis, quibus erant intermixti, didicerant, quaque fortaſſe utpote cultiori, & copioſiori in gravioribus negotiis utebantur; & latinam nativam, ac veluti congenitam, ſenſim vero exterarum gentium colluvione, & po-

(a) *Vid. Homer. Iliad. lib.* 11. *& Plutarch. in Theſeo.*

& populari convictu auctam in quotidiano, communique sermone adhibuisse credendum est. Hanc vero iam tum apud illas gentes usurpari cum diversis tamen inflexionibus, terminationibus, & litterarum forma satis colligi posse videtur ex nonnullis, quae apud veteres Grammaticos extant, verborum originibus; tum praesertim ex nominibus propriis, & derivatis, quae eodem statu ad posteriora tempora, & ad nos usque pervenerunt. Quis enim non videt Latini, Laviniae, Aventini, & aliorum nomina pura esse latina? Praeterea Silvium a silvis, in quibus casu natus dicebatur; Laurentum a lauro; Capitolium ab humano capite nomina duxisse? Aventinum romano clivo, Tiberinum Tiberi fluvio, qui prius Albula dicebatur, nomina praebuisse? At familiarum nomina, licet aliae Aboriginum, quales Fabia, Antonia, Potitia, Mamilia esse dicuntur; aliae a Troianis Aeneae comitibus profectae, ut Nautia, Aemilia, Iunia, Sergia, Caecilia, quod testatur Dionysius, latina tamen inflexione, ac modo efferebantur. Quid plura? Nonne Tacitus adfirmat Aborigines ab Evandro litteras didicisse? (a) Nonne Isidorus Carmentae, aut

(a) *Annal. lib.* 11.

aut Nicostratae eius matri hunc detulit honorem? (a) Nonne Hyginus utrumque complectitur, quum ait graecas litteras Evandrum in Italiam transtulisse, matrem vero eius Carmentam in latinas commutasse? (b) Praeterea, si verum est, Romulum, & Remum latinas, graecasque litteras iussu Numitoris Gabiis edoctos esse, & Romulum latinas tulisse leges, ut postea dicemus, quis non videt multo etiam ante Urbem conditam & litteras, & latinam linguam usurpari solere? Immo eo usque vere latina lingua dicta est; nam regnante Numitore ultimo Latinorum rege, sicut Latinorum cessarunt nomina, ita linguam cessasse dicendum est, ut quae prius latina fuerat, romana dici coepta sit: quod si tamen illius durities, ac verborum asperitas haud omnino cessaverit, ad illam certe formam, qua posteri usi sunt, vergere coepit, ut in ea facile vestigia quaedam verae, germanaeque latinitatis agnoscere valeamus.

IV. Condita autem Urbe sive recens ab Romulo, sive ex aliis oppidis, pagis, vicis, privatisque aedificiis septem illis collibus interfertis, ibique asylo adaperto, undique exteris

(a) *Origin. lib.* 1. *cap.* 4.
(b) *Fabula* 277.

exteris paſtoribus, latronibus, exulibus, profugiſque convocatis, nova iterum variarum gentium, & nationum moribus, lingua, ritibus, religione diverſarum facta eſt permixtio, quos inter finitimos Samnites, Oſcos, Etruſcos, Veientes, Sabinos, ceteroſque haud ultimum tenuiſſe locum credendum eſt; unde nova quoque popularis ac vernaculae linguae facies, novaque forma, ut non ita facile veterem illam internoſcere queas: ea prorſus ratione, qua Auguſti temporibus vix, ac ne vix quidem ea intelligebatur lingua, quae paullo poſt Urbem conditam adhiberi conſueverat. An autem confinium horum populorum, qui Romam confluxerunt, diverſae eſſent linguae, aut inſtar diverſarum unius linguae dialectorum ſe haberent, res admodum incerta, ac dubia eſt; neque ab ulla, quod ſciam, veterum ſcriptorum auctoritate definita; verum quum Livius adfirmet (*a*) Marcum Fabium Caeſonem etruſcis litteris eruditum, etruſcam quoque linguam probe noſſe, eam non tantum dialectum, verum linguam penitus diverſam fuiſſe conſtat; quod itidem de oſca adfirmari poſſe videtur, quum Ennius, teſte

(a) *Lib. 9. Dec. 1. cap. 36.*

teste Gellio, (a) sibi tria esse corda gloriari consuesset, quod scilicet graecam, latinam, & oscam calleret linguam: & si quid coniecturis dandum est, facile mihi persuaserim Atellanas fabulas, antequam Romam deferrentur, Atellae, a qua nomen duxere, osce actitatas fuisse. Haud ita tamen de Sabinorum, Samnitium, Veientium, aliorumque proximiorum linguis adfirmare ausim, quas in quibusdam certe vocabulis diversas; generatim tamen, atque universe cum Volscorum, Equorum, & Hernicorum lingua, qui populi omnes una cum Latinis ipsis in Latio continebantur, easdem fuisse quisque sibi facile persuasum habebit, qui nolit infinitas paene linguas in regiones, urbesque non adeo inter se dissitas inducere. Verum quomodocumque se res habeat, illud certum exploratumque est: ex variis, aut linguis, aut dialectis, aut vocibus heinc inde petitis unam conflatam, vel quum prius extitisset, adauctam; quae tamen linguae, si adhuc superstites forent, plures fortasse in iis latinae linguae radices, quam in graeca ipsa reperire possemus.

V. Haec fere sunt nobilissimae huiusce linguae primordia, ac veluti incunabula; quae licet

(a) *Lib.* 17. *cap.* 17.

licet imposterum romana dici posset, a regionis tamen nomine, ubi primum enata, atque innutrita est, antiquum nomen retinuit, & licet adolescere, & grandiuscula fieri quodammodo coeperit, non ideo tamen in publicis monumentis, scripturisque sui facere potestatem audebat; verum instar rudis, incomptaeque infantulae pudibundam suos inter parentes agrestes & illos, militiae, agrorumque cultui, plus quam litteris addictos delituisse, & ad saeculum quintum Urbis primas, honoresque graecis litteris detulisse. Constat enim Romulum sua semper graece, aut graecanicis litteris scriptitare solitum, quare ἐπιγράψας ἑλληνικοῖς γράμμασι τὰς ἑαυτοῦ πράξεις dicitur a Dionysio; (a) quas tamen litteras non absimiles a latinis fuisse testatur Tabula Delphica, quae iam inde a Plinii temporibus Romae visebatur in Bibliotheca Minervae hac inscriptione notata: Ναυσικράτης τισαμένου Ἀθηναῖος ἀνέθηκεν (b). Quinimmo Tullius in oratione pro Archia suo etiam tempore prodit, graecarum artium, & disciplinarum studia non

(a) Actus suos graecanicis litteris scribens. *Antiquit. Rom. lib.* 1.

(b) *Vid. Plin. Hist. lib. VII. cap.* 58.

non tantum in Italia, verum & in Latio ipſo vehementius coli, quam in iiſdem oppidis, & Romae. Et alio eiuſdem orationis loco, graeca ait in omnibus fere gentibus legi, latina ſuis finibus, exiguis ſane, contineri. Verum, ut ut eſt, conſtat quidem Romulum regias quaſdam tuliſſe leges hac vulgari, communique lingua perſcriptas: Numam hac eadem uſum eſſe in condendis ſaliaribus hymnis, quos Sacerdotes & Salii ipſi dicti per Urbem Bacchantium, aut Corybantum more ſalientes, opipareque epulantes Marti Gradivo canerent: leges quoque duodecim Tabularum, quas Spurius Poſtumus, Sextus Sulpicius, & M. Manlius ex ſingulis civitatibus, tum e Lacedaemoniorum, atque Athenienſium legibus undique collectis deſcripſerunt: columnam praeterea roſtratam C. Duillii, quae & hodie Romae viſitur, hac rudi inconditaque lingua perſcriptas eſſe extra omne dubium eſt.

VI. Ut autem aliquod illorum temporum latinitatis ſpecimen lectoribus exhibeatur, iuvat heic unicam adponere legem aut Romuli, aut cuiuſvis; Romulo enim, Tatio, & Servio Tullio tribuitur, quae ab Scaligero, & Merula emendata ac digeſta, atque a cl. Funccio antiquae ſcribendi reſtituta rationi, ſic

ſic ſe habet (*a*) SEI. NVROS. PARENTEM. VERBESIT. AST. OLE. PLORASIT. SACRA. DIVEIS. PARENTOM. ESTOD. SEI. PVER. PARENTEM. VERBESIT. AST. OLE. PLORASIT. PVER. DIVEIS. PARENTOM. SACER. ESTOD. Plura quoque legum Numae fragmenta habemus, quorum ſat erit unum, aut alterum adferre exemplum a Feſto recenſitum, & ab eodem Funccio ita redditum. SEI. HEMONEM. FULMIN. IOBIS. OCISIT. NEI. SVPERA. CENVA. TOLITOD. HEMO. SEI. FULMINED. OCISVS. ESCIT. OLOE. IOVSTA. NVLA. FIERI. OPORTETOD. SEI. CVIPS. HEMONEM. LOEBESOM. DOLO. SCIENS. MORTEI. DVIT. PARICEIDAD. ESTOD. SEI. IM. IMPRVDENS. SE. DOLO. MALOD. OCEISIT. PRO. CAPITED. OCEISEI. ET. NATEIS. EIIUS. ENDO. CONCIONED. ARIETEM. SVBICITOD. Haud aliter per-

(a) Has leges ita adfert Feſtus in vocibus *plorare*, *ab oloes*, *occiſum*, *hemo*, *ſubici*, *&c.*

I. Si nurus parentem verberit, aſt illa plorarit, ſacra Divis parentum eſto.

II. Si puer parentem verberit, aſt ille plorarit, puer Divis parentum ſacer eſto.

III. Si hominem fulminibus Iovis occiderit, ne ſupra genua, *alias*, ianua, tollito: & alibi; Homo ſi fulmine occiſus eſt, ei iuſta nulla fieri oportet.

IV. Si quis hominem liberum dolo ſciens morti dabit, parricida eſto. Si im. (ſic) imprudens ſe dolo malo occiſit, pro capite occiſi, & nates eius in concione arietem ſubicito.

perſcriptae videntur XII. Tabularum leges, & C. Duillii columna, ut facile quivis intelligere poſſit, quam minimum latina lingua, haud brevi quidem temporis intervallo, profecerit: quorum tamen ſi quis plura deſideret, adeat Funccium, Ciacconium, & alios; paucis nos erimus contenti, ut & ruditatis illius aliquam ſpeciem exhibeamus, &, ne plura referentes, faſtidium lectoribus, aut ſatietatem adferre videamur.

VII. Ut aſpera, ut inculta, atque, ut ita dicam, ferruginea, ex his, quae ſuperſunt, monumentis, adpareat, ſatis tamen aperte colligitur iam inde latinam linguam ad eum perveniſſe gradum, ut & in ſcripturis adhiberi, & animi ſenſa cum ea aperiri poſſent. Verum non ea ſolum monumenta ſcriptis mandata eſſe quiſque ſibi perſuadere poterit, quum animadverterit eo temporis intervallo, quod Numam inter, & Livium Andronicum, qui primus fabulam Romae docuiſſe fertur anno Urbis IϽXIV. Caio Claudio Caeci filio, & M. Tuditano Coſſ., interceſſit, quamplurimos extitiſſe viros doctos, atque eloquentes, quorum orationes, atque elucubrationes litteris conſignatas fuiſſe credibile eſt, ſed eas aut temporum iniuria, aut quia Romani rebus tantum bellicis addicti, de litterariis parum

erant folliciti, periiffe. Eloquentem fuiffe Lucium illum Brutum, qui potentiffimum, ac fuperbiffimum regem expulit, civitatemque a tyrannide in libertatem vindicavit, fufpicatur Cicero: eloquentem M. Valerium Dictatorem, qui dicendo maximas fedavit difcordias ex veteribus monumentis patet: eloquentes Appium Claudium, Caium Fabricium, T. Coruncanum, M. Cornelium Cethegum, C. Flaminium, aliofque fexcentos, quos longum effet enumerare, ipfe prodit Cicero, quorum quidem, etfi nil fcriptum reperiatur, fcripfiffe tamen facile fufpicari licet. Praeterea ex S. Auguftino, Lactantio, Plutarcho, & aliis accepimus, Numam Pompilium praeter eos, quos memoravimus, faliares hymnos, feptem de iure pontificio latinos confcripfiffe libros, totidemque graecos de difciplina fapientiae, qui quum quadringentis fere annis ab eius interitu in arca quadam lapidea prope aliam, in qua eius offa adfervabantur in Ianiculo a fofforibus quibufdam reperti effent, eos Q. Petilius, qui tum Romae praeturam obtinebat, diligenter legit, remque ad Senatum detulit, fimul addens: neque fas, neque pium videri fibi, ut, quae in iis continerentur, in vulgus ederentur, aut a plebe audirentur; quare Senatus decreto iuffus eft ipfe Petilius, ut

in

in populi concione eos libros concremaret, uti factum est. An id virorum insipientia, aut temporum perversitate acciderit dubitant nonnulli: iure id ego factum adfirmare ausim; quum enim rex Numa per summam sagacitatem populum rudem, imperitum, eumdemque ferocissimum in officio continere statuisset, id nonnisi religionis vinculis effici posse animadvertit, quare omnia Numinibus complevit, & illos cum Aegeria Dea nocturnos effinxit congressus, a qua sacrorum ritus ac ceremonias acciperet, ac populo obtruderet; quae mendacia, vanitates, ac ludibria quum fortasse in iis libris perscripta essent, minime mirum si detegi, evulgarique vetuit Senatus, cuius maxime intererat in pretio manere religionem, atque in honore regem, quem propter sapientiae famam Pythagoram iam audivisse a quibusdam creditum est; quo tamen nil falsius excogitari, aut proferri potest, quum Pythagoras nonnisi regnante Tarquinio ultimo Romanorum rege Philosophiae laude claruerit.

VIII. Sicut ii, quos supra memoravimus, viri eloquentiae laude floruere, ita sine ulla dubitatione poetas floruisse adfirmaverim, haud illos quidem ullis praeceptis, aut artis subsidio, verum nativa quadam ingenii faculta-

te adiutos, ut in nonnullis aliquando usuvenire comperitur, qui nullo studio, nullis, aut perpaucis imbuti litteris carmina utcumque prolapsa facili negotio effundunt. Praeterea Poesis tam insita fuit semper humanae menti, tamque inter barbaras quoque nationes, incultosque populos in deliciis habita, ut nemo non eam in pretio habuerit, adamaverit, aut quomodocumque excoluerit. Quod adtinet ad Historiam nullus est dubitationi locus, quum ex Cicerone, Livio, Dionysio, & aliis constet commentarios de rebus gestis Romanorum ab usque Numae temporibus a Pontificibus Maximis perscribi solere, & ideo Annales maximos vocitari, qui licet nudi, ieiuni, & sine ullis ornamentis, *monumenta tamen temporum, hominum, locorum, gestarumque rerum reliquerunt*, ut ait Cicero. (a) Idem de Iurisprudentia adfirmari posse videtur; scimus enim Reges, & Decemviros tulisse leges, easque Publium Papirium primum in unum contulisse; Appium Claudium Regilianum conscribendarum legum XII. Tabularum fuisse auctorem, quae labentibus annis auctae in tantam excreverunt molem, utipsae sua laborarint ma-

[a] *Lib. 2. de Oratore.*

magnitudine. Horum tamen omnium nil extat, praeter ea, quae diximus, & id genus perpauca, licet plurima monumentis & litteris mandata fuisse haud prorsus a fide videatur alienum. Quod de oratoria facultate, & poetica, deque Historia, & Iurisprudentia, idem de ceteris facultatibus, non ausim adfirmare; constat enim serius Romanos scientiis vacare coepisse, rebus tantum militaribus, ut diximus, & corporis exercitationibus addictos.

IX. Quam hactenus recensuimus, latinae linguae aetas, ea prorsus est, quam alii semibarbaram, alii ferream, nonnulli eiusdem pueritiam adpellant: Cardinalis vero Hadrianus in commentatione praemissa libello de sermone latino, & modis latine loquendi, missis metaphoris, aut poetarum fabellis antiquissimum latinae linguae tempus simplicius, & fortasse melius nominat. Utcumque illud sit, quum nulla heic de nominibus habeatur quaestio; hoc excepit tempus, quod idem antiquum vocat, quodque ad perfectum, & aureum sensim, ac per gradus perductum est, quo Romani scientias quomodocumque excolere, & sermonis elegantiae vacare coeperunt, haud ita tamen ut valde profecerint, quum primi illi, qui aliquid prodiderunt memoriae, Livius Andronicus, Pacuvius, Caecilius, &

alii, qui utpote verbis aſperis, obſcuris, ac veluti male tornatis uſi, mali latinitatis auctores merito habiti, atque adpellati fuerunt, quum ceterum eiuſdem parentes utcumque dicendi ſint; eorum namque & aliorum ſubſequentium diligentia, ſtudio, ac vigiliis, non adeo tamen brevi temporis ſpatio effectum eſt, ut latina lingua, quum diu miſerrime laboraſſet, locupletior, copioſior, ac purior efficeretur, & ad eam tandem perfectionem, ac robur pervenerit, ut aurea merito dici poſſet. Quod quidem illo centum ferme annorum ſpatio eveniſſe conſtat, quo Auguſtus imperavit, & Cicero, Virgilius, eorumque ſimiles, ſive oratores, ſive poetae, quorum haud minima fuit copia, floruere, quorum ope ad id elegantiae, puritatis, ac venuſtatis culmen evecta eſt, ut nihil melius exoptari, aut excogitari valeat. Hoc temporis intervallo nonnulli etiam ſcripſere, qui neque cum Tullii, Virgilii, aut ſimilium maieſtate, ac nitore; neque cum Ennii, Pacuvii, aut aliorum ruditate ſunt comparandi, ſed veluti intermedii, atque interiecti extiterunt, quales Plautus, Terentius, & Lucretius exiſtimandi ſunt, quos propter frequentes eorum archaiſmos nonnulli ab aurea aetate ablegandos, alii propter elegantiam, verborumque delectum ad eamdem

dem merito referendos putant. Sed in iis, quod in ceteris auctoribus usuvenit, accidisse dicendum est, ut saepe etiam in iisdem operibus haud semper sibi consteat, & permulta aurea aetate dignissima legere liceat, nonnulla fortasse secus, ut iure qui de bonorum auctorum imitatione tractatus, aut praecepta reliquerunt, non optimos solum imitandos praecipiant, verum quae in illis optima sunt, ac praestantissima.

X. Iamdiu, quos supra memoravimus, populi in unum coaluerant, omnesque uno ore Latini facti erant, unaque utebantur latina lingua veluti nativa, ac vernacula: hoc tamen discriminis intercessisse videtur, ut qui scientiis, bonisque artibus in scholis vacare coepissent, elegantius, ac politius loquerentur; rudiores vero, indoctioresque nulla habita Grammatices, aut syntaxeos ratione saepe vocibus aut mancis, aut barbaris, inconditisque, quales a parentibus, aut nutricibus acceperant, uterentur, haud ita tamen ut alterae essent a latinis: quapropter iis adsentiri nequeo, qui putant iam tum in vulgari, communique sermone Romanos ea usos esse lingua, qua modo nos vulgo utimur, quamque italicam, aut etruscam adpellare solemus. Huic opinioni suffragari videntur Celsus Cittadinius, Leho-

nardus Aretinus, Quadrius, & alii hac potiſſimum perducti ratione, quod plurimae Latinorum voces, ac phraſes italicis noſtris ſint paene ſimiles, minime quidem animadvertentes puras eas eſſe latinas, & italicam linguam a latina, utpote illius parente ac magiſtra, mutuatam eſſe. Sed quomodocumque ſe res habeat, in ſcriptis adhuc, & gravioribus negotiis graeca dominabatur; in ſcholis ei praecipua impendebatur cura; hac Romani Philoſophiae ſtudebant, Rhetoricae, ceteriſque diſciplinis; hac declamabant priuſquam ad latinos ſe conferrent Rhetores: ex quo facile perſpici poteſt vetuſtiſſimum eſſe morem eruditae, atque adeo univerſali cuiquam linguae in pueritia praeſertim operam navare ſedulam, quae ad ſcientias addiſcendas viam quodammodo ſternat, quae quum apud eos graeca eſſet, apud nos latina eſſe debet, quae in illius locum veluti ſuffecta eſt, a qua ſtudia noſtra praecipue inchoari ſolent, & ſine qua ceterae facultates deguſtari quidem, hauriri numquam poterunt.

XI. Ut autem Romani ſenſim bellis & victoriis rerum orbis potiri, eorumque Imperium latius propagare coeperunt, ita & latinam linguam, quam adamare, atque eorum maieſtate dignam habere coeperant, exteris natio-

nationibus, victis praesertim, ac subiectis sibi populis obtrudere conabantur; quare edictis, decretisque sanxerunt ne ius usquam a Praetoribus, ceterisque Magistratibus diceretur, responsa darentur, aut lege quidquam ageretur, nisi latinis verbis formulisque; quinimmo quum quosdam romana civitate donassent, quod latinam ignorabant linguam, urbe cedere, & ad pristinam peregrinitatem remigrare iusserunt; quo quidem fiebat, ut omnes aut eam addiscere, aut, quod non parum erat incommodi, per interpretem proponere, aut respondere cogerentur: quod non solum in Urbe usuveniebat, verum in Asia quoque, in Graecia, inque ceteris Provinciis, ut *latinae linguae bonos*, ut ait Valerius Maximus (*a*) *per omnes gentes venerabilior diffunderetur*; sive ut πολυγλοττίας difficultates, & incommoda vitarent, & uni linguae latinae domi forisque suos, subiectosque sibi, ac devictos populos adsuefacerent; quod feliciter evenisse constat, quum brevi temporis intervallo longe lateque per Medos, Assyrios, Persas, Graecos, aliasque nationes propagata sit. Hoc idem de eorum lingua nequicquam olim

Turcae

(a) *Lib.* II. *cap.* 2.

Turcae tentasse dicuntur: hoc idem pro etrusca tentarunt nonnulli saeculo praesertim XVI. sed irrito prorsus conatu. Idem fortasse nostris temporibus moliuntur Galli, quum primas suae, honoremque in omnibus deferentes, ceteras omnes aut veteres, aut recentiores linguas ab hominum studiis exulare vellent: (a) quod iis tamen tum fortasse cadet ex sententia, quum, non secus ac Romani veteres, rerum orbis potientur: sed quemadmodum ii olim Capitolium invadentes sacra omnia ac profana everterunt, ita modo, quod vetustae maiestatis est, in Romanorum lingua abripere conantur. Dolendum magis tamen perniciosam hanc, litterisque omnibus, religioni, atque adeo humanae societati periculosam opinionem in Italiam quoque nostram, non secus ac ceteras pestes, infelici contagione permeasse, atque avide ab iis arreptam, qui

(a) *Legantur* Mr. l'Ab. Goujet Tom. 1. de sa Biblioteque françoise Paris 1740. Mr. de la Touche dans le Preface au Tom premier de l'art de bien parler françois. *Atque instar omnium* le P. Bohours entretien 11. sur la langue françoise, *cuius quaeso audiamus verba*. Les Chinois, & presque tous les peuples de l'Asie chantent; les Allemans rallent; les Espagnols declament; les Italiens soûpirent; les Anglois sifflent. Il n'y a proprement que les François qui parlent. *&* *huiusmodi non pauca*.

qui rerum novitate adlecti, nil rectum putant, nisi quod gallicos, anglicos, aut transalpinos alios redoleat mores.

XII. Ceterum non solum bellis, & victoriis, verum etiam commercio, & coloniis ubique locorum constitutis latinam linguam propagarunt Romani. Quem enim vel mediocriter in antiquitate versatum latet, fuisse hoc prudentissimum, ac sagacissimum Romuli consilium, quod postea ceteri Reges, Magistratus, atque Imperatores sequuti sunt, ut, quum nationem, aut urbem bello subegissent, devicti populi partem secum Romam ducerent, Romanos totidem illuc habitatum mitterent, quibus per IIIviros deducendarum coloniarum agri dispertiebantur, leges, ritus, ceremoniae constituebantur, ut omnia tamen romanis legibus, ritu, atque institutis agerentur? Ex hac profecto Romanorum migratione, exterorumque deductione magnam utrique utilitatem percipiebant; Urbs enim multitudine levabatur, turbis, seditionibusque, quae in plebe frequentissimae facile oriri solent, liberabatur, & commodior iis, qui in Urbe manebant sedes ac statio relinquebatur: alteri scientiis, artibus, commercio, religione, aliisque bonis invectis, veterem exuebant rusticitatem, moresque humaniores, ac novum

quasi

quasi ingenium induebant : quod idem de graecis coloniis accepimus, quae olim per Europam, atque Asiam disseminatae, quaquaversus humanitatis, ac sapientiae vestigia reliquerunt. Romanorum praecipue linguam addiscere conabantur, vel ut eorum inirent gratiam, atque iis obsecundarent; vel, quod necessitatis erat, eos facile intelligere possent, quorum legibus, moribus, atque institutis victuri erant, quibuscum negotia peragere, societates inire, adsidue versari, quosque veluti dominos, auctoresque respicere cogebantur.

XIII. Alia tandem, quod supra adtigimus, caussa suberat, cur populi, nationesque romano Imperio subiectae Romanorum linguam perdiscere cogerentur; leges scilicet, ac iudicia, quibus nec liceret heredem instituere, testamenta conficere, hereditatem adire, emancipare, tutorem dare, nomina facere, aut alia quaevis acta publica perficere, nisi latinis verbis, formulisque, adeo ut qui secus faceret, neque obligationem contraheret, neque promissis stare teneretur. Ab hac tamen legis severitate excipiebantur Fideicommissa, quae graecis etiam verbis relicta valebant, cuius rei rationem adfert Cuiacius: (*a*) quod scilicet ea

(a) 12. *observat. cap.* 35.

ea non ex iure civili, ſed ex moribus deſcenderent. Stipulationes tamen, quamquam a iure civili communiter deſcendere traditum ſit, etiam peregrina lingua, graeca ſcilicet, punica, aſſyria, aut alia quavis valere auctor eſt Ulpianus lib. 48. (*a*) quod utilitatis cauſſa receptum eſt, ut omnis ſermo contineret verborum obligationem: licet Cuiacius ipſe (*b*) ſequendas latinas formulas potius, quam exteras ſuadeat. Hae tamen leges moderatae ſunt, ac paene immutatae Honorii, atque Arcadii temporibus, quum Romanorum Imperio Byzantium translato, Romani ipſi paene graeci facti ſunt, & graeca lingua undique loquerentur. Quibus ita conſtitutis, facile coniici poteſt quanta fuerit populis romano Imperio ſubiectis neceſſitas addiſcendi linguam commune iam omnium nationum vinculum, & omnium gentium victricem, ac dominam.

XIV. Atque, ut melius etiam intelligi poſſit, qua ratione latinus ſermo per orbem fere univerſum late fuſus ſit, non abs re futurum exiſtimo, ſi breviter, ac dilucide quo ordine, aut quibus veluti gradibus Romani potiti ſint rerum, in anteceſſum edixero: latina enim lin-

(*a*) *Vid. §. in hac. Inſtitut. Tit. de verb. obligat.*
[*b*] *Pandect. Lib. XII. Tit.* 14.

lingua in Latio nata, neque adhuc ex incunabulis egressa exiguis sane finibus, non secus ac Imperium, continebatur. Romulus Sabinis devictis adversus Romanos Sabinarum raptores irruentibus, una cum iis, icto federe, imperium coniunxit. Hostilius Horatiorum ope Albam subegit, Fidenates suos fecit. Ancus Veientes, & Volaterranos proelio superavit. Tarquinius duodecim Etruriae populos, a quibus ante hospitio receptus erat Corintho profectus, arma tradere coegit. Exactis Regibus Consules suffecti sunt; hi latius Imperium propagarunt: Volscos, Ernicos, Equos, Sabinos iterum, & Fidenates rebellantes expugnarunt. Fabius Caeso cum 306 e Fabiorum Familia contra Veientes, & Faliscos arma tulit: is cum suis omnibus, (a) praeter infantulum armis imparem ad Cremeram flumen caesus est, hos tamen Furius Camillus Dictator consilio,

ac

(a) 306 Fabiorum Historiam adtigimus, utpote a T. Livio, & Ovid. in Fast. adlatam; verum quum Plutarchus in Fabii vita, & Valerius Maximus nullam de illa mentionem faciant, ideo suspecta, immo falsa habenda videtur: Legatur Dionysius antiquit. rom. lib. 11. pag. 580. edit. Lyps. 1691. τὸ δὲ συναπτόμενον τάυτοις ὑπό τινων, ὄυτε ἀλυθὲς, ὄυτε πιθανὸν, ἐκ παρακόυσματος δὲ τινος πεπλασμένον ἀπὸ τοῦ ἀληθοῦς, ἄξιον μὴ παραλιπεῖν ἀνεξαστέστον. &c.

ac virtute delevit. Faliſcos exceperunt Samnites, quos ita delerunt Romani, ut fruſtra *Samnium in ipſo Samnio requireretur*, (*b*) cuius victoriae fama perterriti Marſi, Marrucini, Ferentani, Peligni, aliique finitimi ſponte ſe Romanis dediderunt. Supererant Appuli, Lucani, Tarentini; hi opibus, & potentia elati Romanos deſpiciebant; cum iis ter confligere auſi ſunt adſcito in auxilium Pyrrho nobiliſſimo Epirotarum Rege, ad extremum ſuperati, fugato Pyrrho Romanorum virtutem ſuſpiciente, in eorum poteſtatem pervenerunt. Hi omnes, quos ſupra memoravimus, populi ſaepe a victoribus defecerunt, ſaepe etiam ad officium redire coacti ſunt, ut univerſae ad extremum Italiae victor romanus populus imperaret.

XV. His ita partis victoriis, rebuſque feliciter geſtis tanta iniecta eſt Romanorum animis gloriae, atque imperii cupiditas, ut Italiae fines praetergreſſi exteris quoque, diſſitiſque nationibus negotium faceſſere coepiſſent. Adfectabant Poeni Siciliam cum Romanis federatam Provinciam: Romani ſocios iuvandi ſpecie, revera praeda adlecti cum iis arma iunxere

(a) *Florus lib.* 1. *cap.* 6.

iunxere invitante Hierone Siciliae Rege; saepe ancipiti Marte pugnatum est terra, marique, amissis utrinque magnis opibus, magnisque caesis exercitibus; saepe bellum compositum, saepe ad arma reditum est: ternis ad extremum proeliis adeo per orbem fama celebratis superiores discesserunt Romani tota Sicilia, atque Africa potiti. Interim cum Sardis, Corsicis, Liguribus, Gallis, Insubribus, Illyricis, aliisque nationibus permultis bello decertarunt, easque subegerunt. Quid plura? Traiectis Alpibus cum Gallis, Cimbris, & Germanis dimicarunt; cum Parthis, Thracibus, & Mithridate in Asia; cum Iugurtha in Africa, adeo ut per Duillios, Calpurnios, Regulos, Scipiones, Metellos, Manlios, Caesares fortuna comitante pares se, non dicam universo terrarum orbi, sed maximae illius parti, fecerint; donec in se conversis armis, & furore Marianis, ac Syllanis, novissime Caesaris & Pompeii manibus, quasi nil reliquum esset armis superandum, semet ipsos crudeliter lacerarint.

XVI. Hae omnes, quae in populi romani venerant potestatem, gentes & nationes, propriis & nativis loquebantur linguis, quas licet magna ex parte retinuisse credibile sit, victores tamen omni ope contendebant, au-

ctorita-

ctoritate nempe, legibus, & edictis; lenioribus quoque artibus, inſtitutione ſcilicet, & diſciplina, ut quemadmodum ad mores, leges, inſtituta, ac voluntatem, ita & ad eorum linguam ſe conformarent, ut nempe per linguae ſubſidium, & conſuetudinem priſtinam exuerent feritatem, obſequentiores, cultioreſque fierent, animadvertentes profecto parvam admodum, aut paene nullam coaleſcere familiaritatem, ac conſuetudinem inter homines diverſae religionis, & linguae: heinc ſapienti prorſus conſilio per omnes fere devicti orbis Provincias ſcholas tum graecas, tum latinas inſtitui curarunt, ut non tantum ſui, verum & coloni, aut exteri quicumque Romanis permixti artes, & facultates, linguam pariter graecam, & latinam perdiſcerent. At, licet etiam Romuli temporibus in Urbe ἦν δὲ τὰ διδασκαλεῖα τῶν παίδων τότε περὶ τὴν ἀγοράν, ut ait Dionyſius (*a*), quod idem imitati ſunt Gabii, & Tuſculani; ibi tamen graecam praeſertim linguam, quae undique apud eos vigebat, qui docti haberi volebant, excultam cenſeo, quum de latina, quae vulgaris habe-

(a) Erat autem tunc ludus litterarius puerorum in foro. *Dionyſ. antiquit. rom. lib.* XI.

batur, non adeo essent solliciti, ut praeter prima illius rudimenta, & quantum a librorum lectione hauriri poterat, nihil ultra a praeceptoribus perdoceretur, ut ferme in scholis nostris evenire constat, ubi Grammatici de una latina vocula haud bene tornata obstrepere, ac saevire non desinunt, de vernaculae, nativaeque linguae erroribus, in quo genere saepissime peccare solent adolescentes, ne mutire quidem elaborant: illud fortasse in caussa fuit cur latina tam lento gradu ad perfectionem progrederetur; hoc vero cur tam multi, qui etiam sibi videntur eruditi, in vernacula, ac nativa lingua tam turpiter labi, atque errare soleant. Enimvero, ut illuc redeamus: Cicero adfirmat primum Lucium Plotium quemdam, quem & ipse audivit, latine docere coepisse, & Cratem illum Mallotem Aristarchi aequalem, quem refert Svetonius, primum Grammaticam in Urbe docuisse; graecam scilicet, quam ipse e *Mallos* Ciliciae Urbe latinarum fortasse, ab initio saltem, litterarum expers Romam advenerit imperante in AEgypto Ptolemaeo Philometore. Ennium quoque, & Livium Andronicum domi forisque utraque lingua docuisse auctor est idem Svetonius de claris Grammaticis, quos tamen semigraecos fuisse, & graece potius interpre-

terpretari, quam latine docere arbitratur. Alios enumerat Auctor idem Grammaticae Praeceptores, quos inter Rhemnium illum Palaemonem, qui tanta fuit arrogantia, ut Marcum Varronem doctissimum virum *porcum* adpellare non dubitarit, secumque natas, atque interituras litteras stulte iactitaret. Ex his plerique vel e Provinciis in Urbem ventitare solebant, vel ex Urbe in Provincias demigrare, quare quum Sertorius in Hispania esset, primum graecos, & latinos praeceptores conduxisse auctor est Plutarchus in eius vita, quos proprio sumtu aluisse, atque exolvisse adfirmat; eorum discipulos suo saepe examini subiecisse, ut quantum in litteris profecissent, per se ipse cognosceret: hos tamen praeceptores, ipso Sertorio domestica fraude victo, atque oppresso, cessasse credendum est, quum omnia adhuc civilibus discordiis permiscerentur, neque ullus foret litteris, & bonis artibus consistendi locus. In Italia quoque, in Municipiis praesertim, & coloniis, Comi scilicet, Mediolani, Tarenti, Rhegii, Neapoli institutos fuisse litterarios ludos constat inter eruditos. In Hispaniis Tarracone, Italicae, Hispali, Cordubae scholae erant, & apud eos, qui ad Baetim incolunt τελέως εἰς τ̀ Ρ'ωμαίων μεταβέβλητο τρόπον οὐδὲ τῆς διαλέκτου

τῆς σφετέρας ἔτι μεμνημένοι, ut ait Strabo (*a*) lib. 3. In Germania Auguſtae Trevirorum, Argentorati, Moguntiae, apud Nemetes, & Vangiones latinis litteris operabantur. In Gallia Burdigala, Auguſtodunum, Durocorturum, Lugdunum, Maſſilia praeſertim, quo Romanorum nobiliſſimi ſaepe diſcendi ſtudio, ipſis poſthabitis Athenis, confluebant, liberalibus diſciplinis, & latina eloquentia florebant. Sicilia, priuſquam in Romanorum ditionem veniſſet, tota graeca erat, poſtea latina facta eſt. Africa ſuae punicae linguae latinam addidit, quum & Medauris, & Chartagine, & utroque Hippone latine doceri coeptum eſt. (*b*) In Aſiam quoque latini Rhetores, & Grammatici acciti ſunt, ut aliarum terrarum orbis partium fata perſequens, & in victoris populi mores congruens, & conſuetudinem, & ipſa latina fieret. En tandem latinus ſermo per orbem fere univerſum propagatus! En Romani immenſum paene adepti Imperium! Quod ſi pace conſervare ſategiſſent, ut armis ſubegerant, hanc ſaltem intuliſſent huma-

(a) Adeo immutatum erat in Romanorum rationem, ut ne dialectus quidem propriae meminerint.

(b) Duae tantum Urbes latinarum litterarum artifices ſunt, Roma, & Chartago. *S. Auguſt. ad Dioſchorum.*

humano generi utilitatem, ut universi una eademque pulcherrima, ac nobilissima uterentur lingua, quam omnes populi, nationesque intelligerent.

XVII. Qui autem in Provinciis Romanorum linguae operam navabant, non eam, qua vulgus uti consueverat incompta, atque inconcinna, verum qua cultiores eruditioresque loquebantur, perdiscere contendebant, quippe qui in scholis exercebantur apud latinae linguae veluti artifices, quorum quisque pro viribus enitebatur, ut ad certas regulas, & praecepta eam revocaret, ad eumque sensim perfectionis gradum, ad quem tandem evecta est, perduceret. Heinc tot illustres viri e Provinciis emersere, quos Romani ipsi latini sermonis elegantia, & nitore admirabantur; heinc Ennius Calaber Rudiis ortus; heinc Plautus Umber Patria Sarsinas, Terentius Afer, Virgilius Mantuanus, Livius Patavinus, Catullus, & Nepos Veronenses, Ovidius Sulmonensis, aliique sexcenti, ut de iis taceam, qui sequiore tempore floruerunt, quorum celebriores Columella Gaditanus, Senecae Cordubenses, Plinii, quorum alter Veronensis, alter Novocomensis, Quinctilianus Tarraconensis Calagurri oppido ortus, Silius Italicus, Statius Papinius Neapoletanus, ceterique per-

 multi,

multi, quos longum esset enumerare, quorum opera satis indicant iam tum non solum latinam linguam, verum & cuiusque generis liberales artes, ac scientias per orbem disseminatas esse, atque adeo excultas, ut earum auctores veluti fontes habendi sint, e quibus posteri haurire cogantur, si quid in sermonis elegantia, in oratoria facultate, in poetica, in Iurisprudentia, Medicina, Philosophia, ceterisque artibus, ac disciplinis proficere desiderent.

XVIII. Sed iam ad id aetatis me delapsum sentio, qua latina lingua ad suam veluti maturitatem, ac perfectionis culmen pervenerat; quam auream aetatem κατ' ἐξοχὴν vocitare solent eruditi, quam tempus perfectum, virile robur, felicissimum aevum adpellare maluerunt alii; quippe quum & verborum ubertate, elegantia, copia, nitore, dignitate, suavitate, nativo quodam, & non fucato candore, ac omnibus omnino dotibus & virtutibus floruerit, ut cum aliis non modo, quae tum in orbe erant, exteris & barbaris linguis, verum cum graeca ipsa sua quondam parente & magistra, & omnium paene venustatum, atque elegantiarum domina iure posset contendere. *Venimus ad summum fortunae*; gloriabundus olim aiebat Horatius

pin-

(*a*) *pingimus, atque Psallimus, & Achivis luctamur doctius unctis*. Neque erit profecto cui mirum videatur, si paullisper attenderit ad felicissima ingenia, quae veluti equus troianus, aetas illa effudit, quaeque ideo romanam linguam ita posteris commendarunt, ut doctorum atque eruditorum lingua iure semper habita, atque adpellata sit. Quid Caesarem memorem, cuius commentarios ut nudos, ut rectos, ut venustos, omni ornatu, tamquam veste detracta, commendat Cicero? Quid Ciceronem ipsum caelestem in dicendo virum, quique apud posteros id consequutus est, ut iam non hominis nomen, sed eloquentiae habeatur, ut ait Quinctilianus? Quid Terentium, cuius fabellae propter elegantiam putabantur a C. Laelio scribi, ut Cicero ad Atticum? Quid Virgilium, Horatium, Catullum, Tibullum, Propertium, aliosque non paucos in omni scientiarum genere praestantissimos, quorum tanta fuit elegantia, atque suavitas, ut de iis adfirmari posse videatur: haud aliter Musas, & Apollinem, Iovemque ipsum, si sit poeta, loquuturos; quorum profecto effectum est ingenio, ut parem Imperio sermonem Romani

(a) *Epist. ad August. lib.* 2.

mani habuerint, & ne eorum, quorum arma vicerant, ingenio vincerentur.

XIX. At praeſtat heic perquirere qua tandem ratione viaque ad tantum eloquentiae faſtigium Romani pervenerint; unde linguam eorum adeo perpoliverint; unde tot praeclara ingenia emerſerint? Quod ego ad tria potiſſimum capita referre ſoleo: ad pacem ſcilicet, quam Auguſtus, ſublatis patris percuſſoribus, fugato Sexto Pompeio, ſuperatis Antonio, & Cleopatra, deviċtis exteris nationibus, univerſo orbi conciliaverat, ut tertium ab Urbe condita geminum Ianum clauſerit, quare ad pacis ſtudia ſe ipſum contulerat, aditumque aperuerat, ut qui maxime ingenio valerent, in eloquentia, poeſi, & ceteris facultatibus felici prorſus eventu ſe ſe exercerent. Adde liberam tum cogitandi, tum loquendi facultatem, qua in Republica praeſertim utebantur Romani; ingenia enim ſervitute oppreſſa, ac metu debilitata nequeunt ſe exerere, animique ſenſus aperire, ac veluti per immenſa rerum ſpatia feliciter pervagari. Accedit eodem & romanarum rerum magnitudo, atque maieſtas, qua mentes hominum elatis, magnificiſque imbuebantur ſpeciebus, unde in efferendis animi ſenſibus ad rerum illam granditatem ſe facile conformabant.

Prae-

Praemia vero, & honores, quibus maxime adficiebantur, hoc efficiebant ut iuvenes ad ſtudia excitarentur, & in omne diſciplinarum genus felici aemulatione incumberent. Iulius Caeſar facile litteris excultos homines, exteros praeſertim bonarum artium doctores civitate donabat, ut eos adliceret, ac in Urbem advocaret; heinc de illo Dio Caſſius: τοῖς γαδειτέυσι πολιτείαν ἅπασιν ἔδωκεν. (a) Parcior Auguſtus in donanda civitate, ſed tantis eos muneribus adficiebat, atque honoribus, ut Flaccus, et Maro per eum, et Maecenatem alterum doctorum virorum ſtudioſiſſimum, eumdemque ditiſſimum ac nobiliſſimum ad ſummum fortunae culmen pervenerint. Flaccus, quamvis libertino patre natus, tribunitiam poteſtatem honeſtis ſuffragiis adeptus eſt, et romanae legioni propoſitus. (b) Virgilius autem quamvis nulla in Urbe munera obiiſſe conſtet, quum et Neapoli, qua maxime delectabatur, et in Graecia diu vixiſſe feratur, adeo tamen Imperatoris, et amicorum beneficentia ditatus eſt, ut aureorum trecena millia poſſediſſe dicatur; et quum Octaviae ſextum

(a) Gaditanis omnibus civitatem dedit. *lib.* 48.
(b) *Petrus Crinitus in eius vita*.

tum Aeneidos librum recitasset, quum ad illos versus, in quibus de Marcello eiusdem filio mentio fit pervenisset, adeo illa tota mente, atque artubus permota dicitur, ut ne lacrimas continere potuerit, animoque defecerit, quem tamen quum recepisset sextertia decem pro singulis versibus iussit poetae numerari. Quid de M. Tullio homine novo, qui ope oratoriae facultatis, Philosophiae, ac Iurisprudentiae et ad imperatoriam, et ad consularem pervenit dignitatem? Quid de bonarum artium praeceptoribus dicam? Nonne *precia Grammaticorum tanta erant, mercedesque tam magnae, ut constet Lutatium Daphnidem, quem Lenaeus Melissus per cavillationem nominis* πανὸς ἄγημα *dicit, ducentis millibus numum Q. Catulo emtum, brevique manumissum. L. Apuleium ab Eficio Calvino Equite romano praedivite quadringenis annuis conductum multos docuisse*, ut ait Svetonius? (*a*) Nonne Verrius Flaccus, qui Augusti nepotes docuit sextertia centena in annum accepit? Nonne Q. illum Rhemnium, de quo supra mentionem habuimus, quadragena annua ex schola accepisse ait idem Svetonius? At

(a) De claris Grammaticis.

At M. Antonius adeo gratus fuit in Sextum Clodium Rhetorem, et praeceptorem quondam suum, ut duo millia iugerum campi leontini illi adsignaret, quod ei in Philippicis exprobrat Cicero, quasi ex tanta mercede nihil sapere didicisset: quam profecto summam neque minuit Vespasianus, quum latinis, graecisque Rhetoribus centena sextertia adsignari iussit; neque Constantius Diocletiano, & Maximiano Impp. quum Eumenio Rhetori, qui scholis Augustoduni in AEduis praeerat, sexcena millia numum per summam liberalitatem dari voluit, (*a*) ut ex ipsius Eumenii oratione pro scholis restaurandis patet. Graeci non minus in persolvendis praeceptoribus largi, ac liberales, quum Diodorus adfirmet (*b*) Gorgiam Leontinum pro suarum lectionum mercede centum minas a singulis discipulis accepisse. Lucianus de sui temporis praeceptoribus diserte habet: μύριαι κατὰ τὸν ἐνιαυτὸν

(a) Visa est haec summa excedere modum Casaubono, & Balduino, qui propterea lectionem immutandam putarunt. Sed rem ita esse patet ex aliis eiusdem orationis locis. Legantur Lipsius de magnitudine Urbis Romae *lib. IV. cap.* 10. & Patarol. in notis ad orationem eamdem, quae extat inter panegyricas orationes veterum oratorum *p.* 171. *edit Ven.* 1708.

(b) *Diodor. Sical. lib. XII.* Vid. etiam *Plat. in Hippia maiore*.

τὸν ἐφ' ὅτω συνεῖναι τοῖς νέοις. (*a*) Quarum hercle mercedum ac benignitatum fama non homines modo, verum & parietes, & saxa, et rupes potentius Amphionis, & Orphaei cantu, & testudine ad studium & litterarum cultum movere, excitare, adlicere possunt; nec mirum si modo nostrorum hominum ingenia aut potentiorum dissidio, & partium studio saepe exagitata, servitute oppressa (*b*), exilibus paene rebus foecundata nonnisi infelices partus edere possunt; aut adflictis rebus, nullis, aut perexiguis adfecta praemiis humi serpere coguntur: honos alit artes, aiebat Cicero, iacentque ea semper, quae apud quosque improbantur. Sint Maecenates, non deerunt Marones praeclare Martialis. Sed illuc redeamus.

XX. Hae igitur fuerunt artes, hae viae, per quas Romani ad tantam Imperii maiestatem, ad tantam linguae & sermonis dignitatem, atque elegantiam pervenerunt. Sed, ut

(a) Singulos in annos decem millia numum, quod accipiunt, uti doceant iuventutem. *Lucian. in Eunucho.*

(b) Adposite Homerus odyss. XVII. vers. 322.

Ἥμισυ γάρ τ' ἀρετῆς ἀποαίνυται εὐρύοπα ζεὺς
Ἀνέρος, εὖτ' ἄν μιν κατὰ δούλιον ἦμαρ ἕλησιν.
Dimidium enim virtutis aufert late sonans Iupiter
Viri, quando ipsum servilis dies occupat.

ut eſt humanarum rerum conditio, ut meliora mutentur, deteriora ſuccedant, ut ait Seneca, extremis etiam Auguſti temporibus a priſtino ſplendore ac venuſtate declinare coepit latinus ſermo, donec in ſummam iterum ruſticitatem, atque barbariem prolapſus eſt: ut adeo verum ſit quod ait Socrates apud Platonem: μεταπίπτειν πάντα χρήματα, καὶ μηδὲν μένειν (a): quod etiam e multorum teſtimonio, et querimoniis, qui ingenia, non ſecus ac eloquentiam in dies decreſcere probe ſentiebant, ſatis manifeſte patet. Heinc alius temporum, & rerum ordo; heinc alia loquendi ratio; heinc illa, quam eruditi argenteam latinae linguae aetatem, illiuſque tempus imperfectum vocitare conſueſcunt: quod alii ad Neronem, alii ad Veſpaſianos, alii ad Antoninos uſque, & ultra perducunt. Hoc quidem tempore homines floruerunt eruditione, et diſciplinis longe praeſtantiſſimi, ſermonis elegantia haud interdum contemnendi, non ii tamen, qui cum Caeſare, Cicerone, aliiſque, quos ſupra recenſuimus, facile comparari poſſint. T. Livio ſua obiecta eſt patavinitas; Senecae, et Lucano verborum tumor, ac ſenten-

(a) Omnes res immutari, & nihil permanere. *Plato in Cratylo*.

tentiarum; & de omnibus eorum aequalibus non inconcinne fortasse cum Tullio dici potest: pingue quiddam, atque peregrinum sonare. Ad cuius rei caussas si paullisper attendere velimus facile reperiemus exterarum gentium in Urbem caput orbis, et rerum dominam concursum: bella, quae mox debacchari coeperant: Imperantium perversitatem, atque ideo honorum, praemiorumque imminutionem ad litterarum perniciem, et linguae corruptionem plurimum contulisse. Quem enim vel leviter in romana Historia versatum latet Hispanos, Gallos, Graecos, Illyricos, saepe Afros, et Asiaticos, vel publici, vel privati negotii caussa in Urbem, in quam paene omnes Imperii opes coactae erant, undique confluxisse? (a) Hi quum omnes neque perfecte latinam linguam callerent, immo proprii nativique idiomatis plurima, ut par est, retinuissent vocabula, quae identidem latinis, ut eorum sensus facilius exprimerent, interserere cogebantur: Romani contra, qui cum iis familiariter agebant, aut negotiabantur, ut se ad illorum captum adcommodarent, barbaras voces adsciscere, ac veluti civitate

(a) *Legatur Iustus Lipsius de magnitudine Urb. Romae lib. II. cap. 3.*

vitate donare non dubitarunt. Quis item ignorat Imperatores ſaepe armis contendiſſe, vel ut ſibi invicem Imperium diriperent, vel ut amplificarent, vel deficientes populos continerent in officio? Praeterea quid litterae, aut linguae cultus cum litteris perpetua cognatione coniunctiſſimus, earumque conſervatio expectare poterant a Tiberio, Caio, Claudio, Nerone, horumque ſimilibus, an Imperatores dicam, aut Imperii peſtes, & hominum portenta? Nonne et Seneca, et Longinus, et Lucanus, et alii plurimi, quos Tacitus enumerat, ac deflet Neronis iuſſu interemti? Perbreve Veſpaſiani, & Titi, qui litteris faverunt, imperium: diuturnum nimis Domitiani ad caedes, & exilia; ad expulſionem Philoſophorum, et librorum incendium: Hadrianus vero, licet ſcientias utcumque deguſtaſſet, adeo tamen ſibi indulgebat, ſibique ſapiens videbatur, ut qui plus illo ſapere viderentur, quaſi ſtudiorum ſcientiarumque aemulos, facile ſuſtulerit. (*a*) Doctos praeterea viros inextricabilibus perſaepe quaeſtionibus, putidiſque tricis impetebat, ſollicitoſque habebat, ut taedio, ac faſtidio adfecti potius a litterarum

(a) *Legatur Dio Caſſius in vita Hadriani*.

rum ſtudio avocarentur, quam ad illarum cultum excitarentur: quibus omnibus fiebat ut in dies decreſcere, atque in peius ruere coepiſſent.

XXI. Sed antequam ad peiora deveniamus, aliae ſubiiciendae videntur huiuſce declinationis, et corruptionis cauſſae. Ea eſt enim inter linguas, et ſcentias adfinitas, atque coniunctio, ut hae nec facile ſine illis comparari valeant, nec illarum integritas ac ſplendor ſine ſcientiis, ac liberalibus diſciplinis conſervari; Romani autem duplici quodammodo loquendi utebantur ratione; altera ſcilicet, quae doctorum, cultiorumque eſſet hominum, altera imperitae, atque indoctae multitudinis. Quis enim ſibi perſuadeat lanios, coetarios, cerdones, ſartores, atque hoc genus homines eadem uſos ſermonis elegantia, qua Philoſophi, Oratores, Iuriſperiti, Poetae uti conſueverant? Hi artis ſubſidio, ſtudio, atque exercitatione quidquid a natura tributum fuerat, perpoliverant; illi nativa quadam ſermonis facultate quidquid in buccam venerat a parentibus, nutricibus, ac populo acceptum, rude licet, atque inconcinnum, effutiebant. Quod autem de Laelia ſocru ſua ait L. Craſſus apud Ciceronem (a): eam quum loquentem

(a) *De Orat. lib. III.*

tem audiret, Plautum, aut Naevium audire loquentes videri sibi, id optimae mulieris institutioni tribuendum puto, quum et ipse ex hoc iudicet sic patrem, & maiores suos loquutos esse: quod idem de Cornelia Graccorum matre elegantissima femina iudicandum arbitror. Hoc plebeio sermonis genere usum et aliquando Augustum in litteris praesertim, et cum familiaribus auctor est Svetonius in eius vita. (*a*) Hic tandem ille est sermo, qui aliam videtur habere naturam, quam viri eloquentis oratio, ut ait Quinctilianus, (*b*) quoque usi sunt Annibalis milites Romanorum perfugae quum ad Romae portam venissent, & latine omnes loquentes, vigiles excitarunt, aperirique portam iusserunt, quod narrat T. Livius: (*c*) ex quo tamen minime concludi posse videtur binas Romae viguisse linguas diversas, quum reapse una, atque eadem latina esset, cui intermiscere voces aut obsoletas, aut novas; saepe peregrinas non dubitabant qui minus exculti erant, minusque

(a) *Cap.* 81. *ubi nonnulla adfert eiusmodi vocabula ab eo usurpari solita.*
(b) *Lib. XII. cap.* 12.
(c) *Lib. XXVII. Vid. etiam Apuleium Asini aurei lib. IX. & de tota hac controversia Lebonardum Aretinum, Poggium, Philelphum epist. lib. IX. & alios.*

de latinitatis puritate, ac nitore solliciti; vel saepe ut se ad rudem populi captum adcommodarent, illiusque consuetudini inservirent, hoc efficiebant: ex quo tamen minime fiebat, ut optime & ornate loquentes minus intelligerent, deque illorum dicendi facultate exquisitius iudicare valerent: accepimus enim pueris, & mulierculis ita teretes, ac religiosas esse aures, ut facile stomacharentur, vocemque extollerent in theatris, quum syllabam aut longiorem, aut breviorem, quam par erat, aut inconcinnum aliquem versum, inconditumque exaudissent (*a*). Ciceronem quoque suas coram populo habuisse orationes, et Virgilii versus privatim, & publice in quovis hominum coetu passim lectitari solitos accepimus, eosque probe intelligi, deque iis iudicium ferri a populo. Quum autem docti homines atque eruditi, iis, quas supra adtulimus, de caussis Romae deficere coepissent, quod ab Augusti interitu evenisse constat, vulgaris hic sermo undique invalescere, ac dominari coepit, & in libris tantummodo germana illa latinae linguae puritas latitare, quam quum pauci admodum inde eruere, atque

(a) In versu quidem theatra tota exclamant, si fuit una syllaba aut brevis, aut longior &c. *Cic. de Oratore.*

que excolere contenderent, quinimmo peculiarem ſibi dicendi formam effinxiſſent, populares, barbaras, ac provinciales voces uſurpando, orta ſunt illa duo monſtra, Grammaticorum terriculamenta, atque opprobria, quae *Barbariſmum*, & *Soloeciſmum* poſtea vocitarunt, quorum alterum corruptam, & contra latini ſermonis leges dictionem interpretantur: alterum vitium in contextu partium orationis contra regulas artis Grammatices factum. (*a*) Ex quibus patet Barbariſmum eſſe in dictione, Soloeciſmum in ſenſu ipſo, et contra analogiam peccare. Ad utrumque autem, ut iam innuimus, plurimum contulerunt veterum obſoleta verba: recentiorum peregrina, & ipſa latina ſaepiſſime vel ab auctoribus male tornata, vel a librariis deturpata, atque vitiata, quibus non raro ipſa acceſſit neceſſitas, quum ſcilicet nova inventa, novi ritus, nova munera, latine exprimenda erant, cogebantur ſcriptores vel latinis verbis novas ſignificationes utcumque tribuere, vel nova ſibi verba cudere, vel ab exteris mutuari, & latina forma, atque inflexione donare. Ex quibus omnibus illa permixtio,

D 2 atque

(a) *Diomed. lib.* II.

atque confusio orta est, quae subsequentibus temporibus adeo est adaucta, ut in foedissimam barbariem tandem lingua omnium nobilissima, atque elegantissima delaberetur.

XXI. His autem difficillimis temporibus, licet haud mediocre latinitas passa sit detrimentum, undique tamen per Italiam, & per Provincias romano Imperio subiectas latine utcumque loquebantur, ea scilicet lingua, quam alii rusticam, romanam alii, vulgarem, quotidianam, pedestrem, usualem, simplicem, ruralem, aliisque nominibus donarunt (a). At eruditi, & cultiores, qui studio, & litteris operam navabant, ea utebantur latinitate, quae, si non imitanda proponitur, quum meliora supersint, non ea quidem contemnenda, quin etiam suspicienda videtur. Quem enim poeniteret vel Lactantii latinitatis, cuius tantum est flumen Tullianae eloquentiae, tanta dicendi vis, tantaque copia, ut christianus Cicero dici mereatur? Quem puderet latinae Sulpicii Severi loquutionis, cuius stilus adeo tersus, atque elegans esse videtur, ut Ecclesiasticorum purissimus dicatur Scaligero? Quorum

(a) *Vide Carolum du Fresne Praefat. Glofs. ad script. med. et infimae latinit. n. XXXVIII.*

rum tamen alterum Diocletiano imperante, alterum anno a Christo nato 501. regnante Anastasio floruisse constat? Quis latinitatem respueret veterum auctorum panegyricarum orationum C. Plinii, Mamertini, Eumenii, Nazarii, Ausonii, Pacati, et aliorum? Quis denique sanctorum Patrum nonnullorum, Cypriani, Hieronymi; eorumque similium Arnobii, Minucii Felicis, & aliorum? ICtorum præterea Papiniani, Paulli, Ulpiani, e quorum sententiis Digestorum volumen conditum est? Utinam nostrorum temporum Iureconsulti, Theologi, Philosophi, bona eorum venia dixerim, qui Musis non adversantibus scribunt, tanta uterentur elegantia, tanto sermonis splendore, atque ubertate, atque illi veteres usi sunt! At enim: barbaris persaepe vocabulis, vocibus aureo saeculo ignotis, inusitatis phrasibus utebantur. Esto: At haec ab erudito quovis internosci possunt, et facile vitari: hoc rerum, & temporum circumstantiae ferebant; hoc denique rerum humanarum fatum est, linguarum praecipue, quae in perpetua versantur mobilitate, & quarum vocabula ab usu pendent, atque ab hominum arbitrio, unde praeclare Horatius in Arte poetica: *Multa renascentur quae iam cecidere, cadentque Quae nunc sunt in honore vocabu-*

 la,

la, *si volet usus*, *Quem penes arbitrium est*, *et ius*, *et forma loquendi*.

XXIII. Non aliunde tamen adeo gravem latinitas passa est perniciem, quam a Barbarorum illuvie, quae quum Arcadii, atque Honorii temporibus, velut apum, anne dicam crabronum, examen? in Italiam se se effudisset, divina omnia, atque humana iura pervertit. Gotthi in primis, qui duce Alarico per Ruffinum Arcadii tutorem Principi suo, ac pupillo turpiter infidum accersiti, a Stilicone primum repulsi, mox viribus refecti romanas acies profligarunt, Romam incendio delerunt, & si Paullo Diacono credimus, Campaniam, Lucaniam, Brutios, & ipsam Siciliam depopulati sunt. Hos excepit Attila Hunnorum Rex potentissimus, & adeo feroci ingenio, ut se flagellum Dei, et hominum terrorem adpellaret, qui quidem sic Italiam dilaceravit, populos, urbes, agros, & regiones undique ferro flammisque devastavit, ut Tyrannorum immanissimus merito haberetur. Vandali sequuti sunt cum eorum Duce Genserico, qui non solum Italiam ingressus omnia sacra, & profana militibus permisit, verum & catholicam fidem delere moliebatur. Quid dicam de Odoacre Herulorum, & Turcilingorum rege? Quas non urbes, quae templa, do-

domoſque ad ſolum aequare non auſus eſt? Quid tandem de Totila praenomine Baduila a Gotthis accerſito? Quid de ceteris peſtibus, Abaribus, Alanis, Francis, Oſtrogotthis, Viſigotthis, aliiſque non paucis illorum ſociis, federatis, aut clientibus, quas tamen Iuſtinianus omnes per Beliſarium, Alexandrum, et Narſetem ſtrenuiſſimos Duces aut penitus ſuſtuliſſet, aut certe Italiam in libertatem vindicaſſet, niſi Sophiae Iuſtini uxoris impotentis animi feminae conviciis percitus Narſes, ira incenſus, graviterque ferens ſe ab illo Imperio propulſari, pro quo toties vitam, & ſanguinem effundere non recuſarat, Longobardos Alboino Rege in Italiam advocaſſet, qui Roma devicta, Ravenna direpta, multiſque praeterea civitatibus, ac regionibus in poteſtatem adductis, Ticini tandem ſede conſtituta ad uſque Caroli Magni tempora per annos ferme ducentos in Italia perdurarunt.

XXIV. His regnantibus in Italia barbaris efferiſque gentibus lingua, moribus, & religione diverſis, non litterarum ſtudio, & animorum cultui, ſed corporis viribus, bellicis, ſervilibuſque operibus ad quotidianum victum quaerendum operam navare et ipſi cogebantur indigenae, quippe quum omnibus amiſſis hoſtium furore, bellis, incendio, et rapinis,

non famae adſiſtendum poeticae, ſed fami conſulendum erat domeſticae, ut Fulgentius aiebat (*a*). Praeterea quid ſperare potuiſſent ſcientiarum, bonarumque artium cultores a Principibus, quibus nulla erat cognitio, nulla ideo cupiditas litterarum? Quorum erat proprium μήτε σχολὰς, μήτε ἄλλους συλλόγους ἐπιτρέπειν γίνεσθαι σχολαστικοὺς: (*b*) quum praeſertim iis perſuaſum eſſet nullum aliud habere litteras momentum, niſi ad animos effeminandos, corporaque effoeta viribus adverſus hoſtium impetus efficienda. Quare quum Amalaſuenta Theoderici regis uxor Athalaricum filium doctoribus Romanorum more litteris imbuendum tradidiſſet, Gotthorum Proceres ſtomachari, atque excandeſcere, exiſtimantes γράμματα παρὰ πολὺ κεκώριτται ἀνδρείας, καὶ διδασκαλία γερόντων ἀνθρόπων ἐς τὸ δειλὸν, καὶ τὸ ταπεινὸν ἀποκρίνεται ἐκ τὸυ ἐπὶ πλεῖστον. δεῖν τοίνυν ἓν τινι ἔργῳ τολμητήν τε, καὶ δόξῃ μέγαν ἑπόμενον, φόβον του ἐκ διδασκάλων ἀπαλλαγέττα, τὰς ἐν τοῖς ὅπλοις μελέτας ποιεῖσθαι. ἔλεγον δὲ, ὡς οὐδὲ Θευδεριχός ποτε Γότθων τινὰς παῖδας ἐς γραμματιστοῦ πέμπειν

(a) *Fulgent. Placiades Mytholog. lib.* 1.

(b) Neque ſcholas, neque conventus aliquos ſcholaſticos fieri concedere. *Ariſtoteles apud Morhof. Polybiſt. litt. lib.* 1. *cap. V.*

πέμπειν ἐῴη. λέγεις γὰρ ἅπασιν, ὡς ἥν περ αὐτοῖς τὸ ἀπὸ τοῦ σκύτους ἐπιγένητε δέος, οὐ μίποται ξίφους ἢ δορατίου ὑπερφρονεῖν ἀξιωσόυσιν (a). Heinc facile quoſcumque inveniſſent libros, tabulas, Archivia, et huiuſmodi veterum monumenta aut igni comburebant, aut quocumque alio modo evertere moliebantur. Rarae erant ſcholae, rari Doctores, rariſſima praemia, eaque perexigua: omnia plena barbarie, caedibus, incendiis, inopia, calamitate. Hoc produnt illorum temporum aedificia, numiſmata, ſcripturae, ſigna, ſtatuae, & alia, quae adhuc ſuperſunt, monumenta. Quae quum ita ſe haberent, cui mirum videbitur, ſi latina quoque lingua adeo deturpata, adeo infuſcata erat, ut altera a priſtina illa videretur? Barbari latinis vocibus animi ſenſus aperire nitebantur: Latini primaevae obliti maieſtatis barbaras voces addiſcere cogebantur, & qui cete-

(a) Litteras a fortitudine valde eſſe disiunctas, et ſeniorum inſtitutionem in timiditatem ut plurimum, et animi humilitatem converti. Oportere igitur, ut qui in aliquo opere, et gloria futurus eſt audax, ſepoſito praeceptorum metu, in armis diligenter exerceatur. Theodericum adlegant numquam paſſum Gotthorum liberos ad ludimagiſtros mitti, dicebat enim omnibus: eos numquam haſtam, aut gladium fore ut deſpicerent mente intrepida, ſi ſcuticam tremuiſſent. *Procopius lib. 1. de bello gotthico cap. 2.*

ceteris gentibus dominari consueverant, barbarorum moribus, et sermonibus inservire; unde illa orta barbaries, illa confusio, ac perturbatio, qua nihil taetrius, nihil foedius excogitari potest.

XXV. Quae autem litterarum fata in Italia fuerunt per Gotthorum, aliarumque barbararum gentium irruptionem, eadem fere per Saracenorum in Hispaniis, per Saxonum, et Danorum in Brittannia, per Francorum in Gallia fuerunt, ut undique ab Europa quasi extorres Musae exulare viderentur. Quae tamen quum dixerim haud sibi quemquam persuaderi velim Italiam, finitimasque regiones quasi ferarum specus evasisse sine aris, sine templis, sine Penatibus. Novi enim scriptores quosdam, Gotthos, aliasque barbaras nationes, quae vulgo corruptæ latinitatis incusantur, ab hoc crimine absolvisse. Novi Longobardos, quum christianam fidem amplexi fuerint, multum de' pristina feritate, atque barbarie remisisse. Novi rectas adversus furta, caedes, rapinas, adulteria tulisse leges. Novi scholas in praecipuis saltem civitatibus extitisse, Romae praesertim, ubi non minutiores modo litterae, verum & *eloquentia*, *iurisprudentia*, *et reliquae ingenuae artes per eruditissimos homines publica mercede instituto vetere* tra-

tradebantur (*a*). Novi ſcientiarum, & latinitatis cultores per illa etiam tempora non defuiſſe: Iornandem, et Paullum Diaconum, quorum alter latine totam Gotthorum hiſtoriam, alter Arcadii, & Honorii vitam, Longobardorum item geſta conſcripſit, fuiſſe Gotthos. Quem latet praeterea Severinum Boethium, Ennodium, Gregorium Magnum Pontificem, et alios eruditiſſimos homines ſaeculo VI. floruiſſe? Saeculum ſeptimum, et octavum ſuos habuiſſe ſcriptores, Iſidorum Hiſpalenſem, Eugenium Toletanum, Drepanium Florum, Bedam, Flaccum Alcuinum, & alios? Praeterea non defuerunt Imperatores, qui litteris utcumque faverent, iiſque operam navarent: paucos tamen, ut ingenue fatear, heic enumerare licet a ſaeculo quarto ad octavum, Tiberium Conſtantinum, qui ſtrenuus, ſapiens, et liberalis audit, et Arthemium, qui in omni doctrinarum genere eruditus dicitur. Ceteri armis addicti, caedibus, luxuriis, tyrannide, haereſibus, aliiſque vitiis implicati, ut nullus litterarum ſtudio relinqueretur locus. Inſtar omnium eſſe poterit unus Leo Iſauricus, Conon etiam, Iconomachus, & Theomachus dictus

(a) *Sigonius de occid. Imp. lib. XVII.*

ctus, qui triginta voluminum millia constantinopolitanae Bibliothecae cum duodecim doctissimis eorum custodibus plusquam barbare comburi iussit anno 726. (*a*) Non tamen una semper, eademque hoc aevo, & apud quosque latinitatis fortuna „ idque dignum est observa-
„ tione, ait Walchius (*b*): poetas etiam poste-
„ riorum temporum ornatiores esse, quam
„ auctores solutae orationis, quod in Sidonio
„ Apollinari, & Paullo Nolano observamus,
„ quorum carmina nitida, & perpolita sunt,
„ epistolae vero parum elegantes „ cuius rei, ait Cellarius p. 489. Diss, Acad. *hanc putamus caussam esse, quod carminum scriptores poetas veteres & legere & imitari necesse magis habuerunt, quam solute aliquid componentes, qui vel ingenio consisi suo scribebant, vel consuetudini se temporum adplicabant, securi ac liberi a necessitate et industria, quam carmina scripturis metricae rationis imponebant, quamquam etiam sunt, quod de Nolano illo Episcopo iudicavimus, qui licet aeque in prosa, quam versibus elegantes esse potuerint, Ecclesiæ tamen stilo se adcommodantes, maluerint illius* more,

(a) *Musant. Tab. chron. p.* 178.
(b) *Hist. crit. lat. linguae cap.* 1. §. *XXII.*

more, quam quo antea instituti, et usi fuerant, sua componere atque proferre.

XXVI. At quo bono litterarum fato evenisse dicam, ut quum omnia offusa tenebris et caligine essent, saevisque agitata procellis in serenum caelum, ac veluti in portum, nova quadam oborta luce, perducerentur? Anne Deus haec otia fecit? Ita profecto dici posse videtur. Carolus enim ille vere Magnus ab Hadriano I. optimo, sapientissimoque Pontifice in Italiam accersitus, quae non optima, non egregia, non sancta molitus est? Longobardos repulit: Desiderium eorum Regem cum uxore, & liberis cepit, ac Leodium relegavit: ipse Occidentis Imperator coronatus, Italiae universae pacem restituit, Ecclesiam ditavit, scholas constituit, Papiae non solum, et in illustrioribus civitatibus, verum et in minoribus oppidis, et pagis: praeceptores ab ultima Britannia, et Scotia accersivit, quae Regna quum a Barbaris non adeo dilacerata fuissent, veteris disciplinae reliquias retinuerant, ut iam tum celebres essent Cantabrigenses, Eboracenses, et Oxonienses scholae: studio addictos fovit, praemiis adfecit atque honoribus: ipse litteras excoluit, aliisque ad excolendum exemplo fuit, ut de litteris, de moribus, deque omni cultu optime

me meritus in Italia dici posse videatur. *Quod adhuc latini sumus, quod barbariem exuimus, Carolo debemus*: praeclare olim Puteanus.

XXVII. Sed quanta fuerit haec litterarum fortuna, & quamdiu perdurarit facile perspiciet quicumque animadverterit scholis illis, quas Carolus instituerat, Parochos ut plurimum praefuisse, qui nil aliud fortasse edocere noverant, quam litterarum rudimenta, Grammatices elementa, et forte pauxillulum Scripturae sacrae: graviores vero disciplinae, Philosophia, et Theologia undique negligebantur, praeter quam Ticini, ubi Monachus quidam nomine Dungalus a Carolo Magno accersitus, ibique constitutus docebat; quo tamen propter locorum longinquitatem, et sumtuum magnitudinem nemo confluebat, praeter nobiles, et divites quosdam, qui litteris utcumque operam dabant *ambitu potius episcopandi, quam cupiditate Domino inserviendi* (a). Ius civile vero, et canonicum, Medicina, et mathematicae disciplinae ignota erant nomina. Quod ad latinam linguam, de ea parum sollicitus fuit Imperator, quum germani-

(a) *In Spicileg. Dacher. apud Murator. Antiquitat. med. aevi. Tom. III.*

manicae excolendae potius addictus fuisset, praesertim quum in Galliam habitatum concessit cum uxore et liberis; praeterea quis tantas sordes, quae in eam irrepserant, expurgare potuisset? Haud multum Caroli Imperium diuturnum; magna, quibus distinebatur, negotia; rarissimi latinitatis cultores: difficilis librorum comparatio, qui autem eos intelligeret fere nemo: heinc post illius decessum adeo aucta est barbaries, et rerum omnium humanarum, divinarumque ignoratio, ut saeculo octavo ad finem vergente, nono autem ineunte qui paullisper aut legere, aut scribere nossent, ii docti haberentur, et ad amplissima quaeque munera obeunda deligerentur. Id patet ex illorum temporum monumentis, inscriptionibus, et tabulis, quarum nonnullas adfert celeberrimus Muratorius, qui latius hoc argumentum, et eruditissime more suo persequutus est: paucula nos exempli caussa adferemus verba sacerdotis cuiusdam, qui tempore Zachariae Papae sacrae christianae religionis candidatos sic lustrabat: *Baptizo in nomine, et patria, et filia, et spiritus sancta* (a) vel alia Abbatis cuiusdam, qui

(a) *Aventin. lib. III. apud* Walch. *Hist. crit. lat. lingua cap.* 1.

qui ſuos redarguens monachos , ita ad illos ſcribebat: *Fres fres: vos ad multum foratis, vos ad multum potatis, haec res in longum non faciet bonum*. Ex quibus facile dignoſci poteſt non modo quae fuerit loquendi, ſcribendique ratio, verum etiam qui fuerint Eccleſiaſticorum mores illorum temporum, ut inde coniici valeat quae eſſe poſſet pauperum, et laicorum diſciplina, et doctrina. Quod tamen haud mirum cuiquam videbitur , ſi ad ea, quae ſupra retulimus, animum adverterit; ad librorum ſcilicet raritatem, qui utpote a barbaris conſumti, atque direpti, ſi qui reperiebantur, maximo venibant pretio, aut lapillorum inſtar, gemmarumque principibus viris muneri mittebantur. Ad praeceptorum paucitatem, de quibus pluſne Italiae conſuluerit Carolus, quum e longinquis regionibus alios accerſivit, an detrimenti adtulerit, quum alios Roma in Galliam ſecum deduxit, haud ita facile definiri valet. Ad morum corruptionem, ut Marti potius, Baccho, ac Veneri litarent qui ſacerdotio nomen dederant, quam Phoebo, & Minervae: ad otium, ſocordiam, rerum omnium inopiam, et artis criticae praecipue defectum, quo fiebat ut omnibus anilibus fabellis, miraculis, et traditionibus faciles praeberentur aures, quorum

pro-

profecto reliquiae in imperita praesertim multitudine ad nostra usque tempora infelici contagione permanarunt.

XXVIII. Quae quum ita se haberent, quid est cur illorum temporum ingenia ignorantiae, socordiaeque insimulemus, quum nostris hisce temporibus, quibus tanta cuiusque generis abundant commoda, vix unus e centenis, aut alter e scholis prodeat adolescens, qui in iis, quae tanta cura & labore a Praeceptoribus edocentur, vere profecisse dici possit? Testes verissimae huius rei adpello eos, qui, nisi fucum parentibus et domesticis facere voluerint, iisque, ut saepe non sine publica fraude a quibusdam fieri solet, adblandiri, verum ingenue fateri non dubitabunt. Mirandum potius, quum tot necessariis ad studia destituerentur, tunc homines extitisse, qui non solum utcumque operam navarent litteris, verum et eorum elucubrationes in vulgus prodire paterentur; qui quidem, si critica facultate, si verborum nitore et delectu se posteris non commendarunt, elegantius certe quam nostra aetate Caussidici quidam *iuris probrum, gentisque togatae*, ut eos Sectanus vocat (*a*),

E ne

[*a*] *Sat. XIV.*

ne Philoſophos, aut Theologos adtingam, in tanta litterarum luce ſcripſere: noti ſunt enim Rabani, Anaſtaſii, Adones, Aimoinii, Freculſi, Hincmari, Luitprandi, Flodoardi, Rheginones, Witichindi, qui ſaeculis nono, et decimo floruerunt, et quorum lectio, etſi ad verborum elegantiam perdiſcendam, ad doctrinam certe diverſarum rerum illorum praeſertim temporum haud eruditis prorſus erit inutilis. Sed ad ceteras, quibus illa aetas vexabatur, calamitates, ea acceſſerat, ut litteris perniciosiſſima invaleſceret opinio; haud ultra decimi ſaeculi terminos Mundum perduraturum; et extremum iam adventaſſe iudicium ſaepe quidem a ſacris litteris praenunciatum, nuſquam vero praefinitum; quare tantus omnium animis timor iniectus erat, ut litterae, ſcientiae, et omnes liberales diſciplinae; res item familiares, et opes, et domeſtica negotia undique deſpicerentur. Fatendum tamen non eamdem per Europam, ne per Italiam quidem dominari ignorantiam, quum et Neapoletani, et Beneventani, quique omnes maritimae illius orae civitates incolerent, quippe quibus cum Graecis paratius eſſet commercium, eruditiores, cultioreſque haberentur, adeo tamen ut nemo ſupra mediocritatem adſurgeret.

Hanc

XXIX. Hanc tantam barbariem, latinitatis corruptionem, et rerum omnium perturbationem aliquid tamen boni consequutum est; ut inde scilicet alia enasceretur lingua, rudis quidem ab initio, et informis, sed quae a praestantissimis in Italia exculta ingeniis, et perpolita, ad eum tandem honoris et dignitatis gradum pervenerit, ut cum aliis Europae linguis de principatu iure possit contendere. Quonam autem id pacto acciderit non nostri instituti est pervestigare, quum alii non minus fuse, quam erudite id praestiterint: illud tamen certum est exploratumque varias, quae in Italiam eruperunt, barbaras nationes, sensim latinam linguam, quae undique dominabatur, quum eam in quotidiano sermone adhibere niterentur, propriis vocabulis formulisque inquinasse, & tantam permixtionem, ac peregrinitatem in voces, in phrases, in syntaxim invexisse, ut alia ac diversa prorsus lingua inde emerserit. Hoc non uno, aut altero tantum saeculo evenisse, sed longi temporis, immo plurium saeculorum opus esse quisque sibi persuaserit, si animadverterit etiam ante barbarorum incursionem a pristina puritate latinam linguam praecipue atque insigniter declinasse, non adeo tamen ut latina esse desierit. At saeculis octavo et nono ita bar-

baries, sermonisque asperitas percrebuit, ut in nonnullis illorum temporum monumentis, quae ad nos usque pervenerunt, vulgaris, qua nunc utimur, semina, atque adeo vestigia facile dignosci valeant. Clarissimus quidem Muratorius in insigni opere Antiquitatum medii aevi inter alia plurima haec adfert verba Diplomatis Desiderii regis anni 772. in Bullar. Casin. T. II. *In Carpeno grosso, in rovere arsa, usque in alia rovere arsa pertusata*. Item alia Diplomatis Caroli Magni an. 818. *Inde percurrente in la vegiola; ex alia vero parte de la vegiola*, et alia id genus permulta, quae italicam prorsus redolent linguam, quam tamen vulgi, eorumque, qui ad vulgi captum se adcommodare volebant, Tabellionum scilicet, et Notariorum, non autem cultiorum, et eorum, qui latine scribere se profitebantur, propriam fuisse existimo, quum et in libris, et operibus illorum temporum, etsi incomte, atque ineleganter exaratis, tales formulae minime reperiantur. *Cultiores litterati*, inquit Muratorius (a) *semper historias, et acta publica, scientiarum monumenta, et religionis latina lingua scripserunt*;

[a] *Murat. Antiquit. med. aevi T.* II. *pag.* 1046

runt; veneratio haec debita credebatur linguae nobilissimae, quam Ecclesia romana, immo et universa Occidentalis, in divinis mysteriis retinens quodammodo sacrasse videbatur.

XXX. Non eadem tamen novi huiusce sermonis in Italia facies, quum undique per diversas ab illius ortu creverit dialectos, iuxta diversas, quas populi incolebant, regiones; alia enim Neapoletani, alia Romani, alia Florentini, Veneti, Ligures adsciverant vocabula; aliter pronunciabant, efferebantque, ut quae una esset lingua in varias veluti partes secta videretur. Haud aliter in Graecia quondam evenisse comperimus, in qua quum Attici, Aeolii, Ionii, Dores una eademque uterentur lingua, illud intererat discriminis in nominum, verborumque inflexione, saepe in syntaxi, & pronunciatione, ut paene diversae linguae viderentur; ita tamen, ut qui probe unam calleret, & alias facile intelligeret, quod & inter Italos observare licet. Florentini autem quum fortasse minus barbaris immixti fuissent, non adeo eorum dialectum peregrinis, externisque vocabulis foedarunt, meliusque latinitatis gustum, ac veluti saporem quemdam retinuerunt; quod quum iis compertum, exploratumque esset, adeo praemature excolere, ac perpolire coeperunt, ut

brevi aliis ſermonis elegantia, nitore, ac ſuavitate praeſtiterint, et inde pulcherrima enaſceretur lingua, quam italicam adpellant alii, etruſca melius ab Etruria, ubi innutrita eſt, atque adolevit, vocitari conſuevit, quaque propterea ii omnes uſi ſunt, qui italice cum dignitate loqui vellent. Eadem fere ratione et gallicam, et hiſpanicam ortas dicendum eſt; a latina ſcilicet velut parente, admixtis tamen multarum, variarumque gentium vocabulis, et phraſibus, ut ex iis liquet, qui vocum origines perſcrutati ſunt; ita tamen ut natae parentem ſine interprete intelligere nequeant; ſorores moribus, inſtitutis, et loquendi modo variae ac diſſimiles ipſae inter ſe ſe minime noſcant: *tantum aevi longinqua valet mutare vetuſtas!*

XXXI. Ex hac tanta barbarie, diuturna rerum omnium perturbatione, et ſermonis converſione exiſtimarunt nonnulli extinctam penitus, ac veluti emortuam dici poſſe latinam linguam; quippe quae in quotidiano, uti fiebat, ſermone non amplius adhibeatur, et alia in illius locum ſuffecta ſit. Verum ſententia haec ita temperanda videtur, ut ſi, qui ita ſentiunt, eam haud amplius vulgarem eſſe, et undique a populo, a parentibus, et nutricibus a prima aetate ſine ſtudio, ac labore acceptam

ceptam adhiberi contendant, non multum a veritate aberrent; sin autem eam deperditam atque ab hominum memoria deletam velint, ut de osca, etrusca veteri, celtica, aliisque vere dici potest, quarum nonnisi vestigia quaedam, et fragmenta in tabulis aeneis, nummis, aut lapidibus supersunt, quae non parum eruditis facessunt negotii, non iis ita facile subscripserim, quum praesertim animo repetam eam semper vixisse apud eruditos: sartam tectamque superesse in veterum operibus; in Academiis, disputationibus, et recentiorum elucubrationibus semper in usu fuisse; apud barbaras quoque nationes excultam atque adhibitam: romanam Ecclesiam ab illius ortu non alia usam esse lingua, eamque quodammodo consecrasse: nunc autem ab omnibus perdisci, qui docti esse velint, a Theologis, Iurisperitis, Medicis, Oratoribus, Poetis, adeo ut merito doctorum, atque eruditorum lingua, non secus ac graeca, semper dicta sit, atque dicatur. Quapropter eam gravi quidem morbo diu multumque conflictatam fuisse vere dici potest, numquam autem mortuam, aut penitus extinctam. Quod eo lubentius adfirmare ausim, quum videam praestantissimos viros, Muretum, Facciolatum, Lamium

 et

et nuper Ferrium noſtrum (*a*) mecum ſentire. Accedit eo, quod poſt tantos caſus, & diſcrimina, adeo ſaeculis proximioribus, ut mox videbimus, ab optimis, ac praeſtantiſſimis ingeniis a ſqualore deterſa ſit, atque exculta, ut ad priſtinum ſplendorem, ac dignitatem, veluti poſtliminii iure revocata quodammodo videatur; ut ſin minus in ore vulgi, aut in quotidiano, familiarique ſermone; in ſcriptis tamen gravioris cuiuſque rei cum dignitate, et ſplendore floreat, ac vigeat.

XXXII. Quum autem Lotharius II. imperaret anno CIƆC.XXV. utpote litteris addictiſſimus Imperator, ita litteris favit, ut nova quaedam lux iis adfulſiſſe videretur. Iuriſprudentiam praeſertim excolendam curavit, cuius libros iamdiu deperditos in Appulia reperiſſe fertur. Bis in Italiam conceſſit, iſque primus, ut adliceret ſtudentium animos, doctoratus lauream, et magiſteria in Academias invexit: Italos omnes romano iure uti iuſſit; quare Wernerus, ſive, ut alii malunt, Irnerius primus Bononiae interpretari adgreſſus eſt, atque edocere, ut virtutis fama *Iuris lucerna* adpellari meruerit. Iiſdem ferme tem-

[a] *Ep. ad Angelum Fabronium inter Alambertianas XV.*

temporibus ius canonicum emersit, ignotum antehac in Ecclesia nomen, opera praesertim et studio Gratiani Benedictini Monachi, qui Decretum ex diversis summorum Pontificum, Conciliorumque constitutionibus, Imperatorum etiam legibus, & SS. Patrum scriptis congessit, cui cum accessissent Decretales opera Raymundi de Peniaphorte iussu Gregorii IX, Sextus Decretalium iussu Bonifacii VIII. Clementinae, et Extravagantes opera summorum Pontificum Clementis V. et Iohannis XXII. in illam excrevit molem, quam vulgo Iuris canonici corpus adpellant. Scholastica quoque Theologia, Philosophia, Medicina, et ceterae facultates sub his temporibus aut renatae, aut impensius excoli coeptae sunt. Heinc celeberrimi viri, Placentius, Hugolinus, Ivo Carnotensis, Stephanus Aurelianensis ICti. Albertus Magnus, S. Thomas Aquinas, S. Bonaventura, et alii Theologi. Myrepsius, Rigordus, Avenrohes Medici, et Philosophi. Non defuere qui etiam historiae, et litteris humanioribus operam navarent sedulam, Iohannes Sarisberiensis, Cinnamus, Radevicus, Morena: Leo, a quo leonini versus, et Poetae Provinciales. Hoc item tempore, aut non multo post Academiae institutae, aut instauratae sunt, Monspeliensis

prae-

praefertim, Parifienfis, Viennenfis in Auftria, Salmaticenfis, aliaeque quamplurimae tum in Italia, tum extra, quibus rectores conftituti per Imperatores, et fapientiffimos Pontifices, *qui non Urbem tantum, fed et univerfam Italiam meliora fapere, ac agere docuerunt; eorumque praefertim ope et confilio accidiffe puto, ut non parum dignitatis tunc litteris in Italia reftitueretur, quae felicitas maiora in dies incrementa fufcipiens ad noftra ufque tempora*, quibus divina prorfus beneficentia, et maxima univerfi chriftiani orbis, noftra praecipue, laetitia ad Petri cathedram recens evecto Optimo, Maximo, Sapientiffimoque Pontifice PIO VI. in eo non tantum adflictis Italiae rebus, verum et litteris, et Mufis fpes maxima fita eft, *conftantiffime perfeverat* (a).

XXXIII. At licet fcientiae, et liberales difciplinae fenfim emergere, atque incrementum fumere coepiffent; latinitas tamen rudis, & inculta in fitu fuo, ac paedore iacebat; quis enim tam fubito tantum Augiae ftabulum repurgare potuiffet, quum optima praefertim ad imitandum exemplaria deeffent, et quifque fuum pro lubitu fibi effinxiffet ftilum, et

[a] *Murat. Antiquit. med. aev. Tom. III.*

et dicendi formam, quae et veteris latinae, et recentioris inductae linguae speciem quodammodo praeferret? Gloria haec Etruscis reservata videbatur, ut, qui vulgarem novam efformaturi, atque ad perfectionis culmen evecturi erant, iidem latinae veteri suum restituerent splendorem, ac dignitatem, et natam a parente, quum permixtae ac confusae adhuc viderentur, suas utrique tribuendo, secernerent. Danthem in primis aliqua cum dignitate utramque adhibuisse constat, quum libellum de vulgari eloquentia, et de Monarchia latine; et Comoediam divinis italicis versibus conscripsisset: Petrarcha item, et Boccatius, quorum tamen primus, quod Virgilii libros lectitare consueverat, et haereseos, et Necromantiae vulgo insimulabatur, utriusque linguae elegantia claruere; haud ita tamen ut a latina eam, qua nunc inter eruditos feruntur, famam sibi conquisierint, quum ipsi a vulgari, vulgaris ab ipsis nobilis facta sit. Longus post illos venit ordo idem petentium decus: heinc veterum scripta, ac monumenta sedulo conquiri; heinc legi adsidue, et pro viribus exprimi; heinc Lexica, et Glossaria efformari, atque in ordinem redigi, dictiones perpendi, voculae quaeque ad examen revocari, ea demum in latino sermone adhiberi

elegan-

elegantia, nitor, atque munditia, quae ad ſcrupulum, et religionem eveheretur.

XXXIV. Ad hanc novam augendam latinitatis fortunam veterum ſcriptorum conquiſitio, oratorum, poetarum, hiſtoricorum, qui undique a barbaris diſſipati paſſim per Italiam, ac univerſam Europam obſcuris paene locis, atque abiectis latitabant, non minimum tulit adiumenti. Nicolaus enim V. ſumma liberalitate Pontifex, de litteris, litteratis, ac ſtudiis doctrinisque deditis viris adprime meritus, idemque ſapientiſſimus undique per Europam certos miſit homines, qui libros conquirerent ingenti quavis pecuniarum vi comparandos. Heinc Poggius Florentinus Quinctilianum in Germania reperit in ſartoris officina iacentem; Ciceronis item libros de finibus, & Legum. Enochus Aſculanus Marcum Caelium Apicium, et Porphyrionem veterem Horatii interpretem, alioſque alii. Graecarum vero litterarum ſtudium, quod miſere ab Italia ſeptingentos exularat annos per Emmanuelem Chryſoloram rurſus invectum vix dici poteſt quanto fuerit latinitati, & ſcientiis omnibus emolumento. Chryſoloram excepere Beſſario, Trapezuntius, Chalchondyla, Gaza, Laſcharis, qui e Graecia à Turcarum armis vexata, atque adeo dilacerata in Italiam profugientes

tes a Medicis praesertim excepti et Italos graece scire docuerunt; heinc Lehonardi Aretini, Poggii, Philelphi, Guarini, Politiani, Victorii, Criniti, aliique tum patrio, tum latino, et graeco sermone felicissimi. Graeci ipsi haud latinae linguae ignari, ex quo praesertim Constantinus romanum Imperium Byzantium transtulerat, *χρηματίζει δὲ δευτέραν Ῥώμην νόμῳ ἐκύρωσεν* (a) litterarias veterum Graecorum opes, quas secum asportaverant, Latio donare adgressi sunt, quibus se comites Itali adiunxere, ut Gaza Theophrastum, et Aristotelis libros de animalium natura transtulerit; Poggius Diodorum Siculum: Trapezuntius Eusebium Caesariensem, et Hermogenis Rhetoricam; Valla Thucydidem, & Herodotum; Philelphus Xenophontem, Hippocratem, et nonnullas Plutarchi vitas, Candidus Appianum Alexandrinum, Perottus Polybium, Ficinus platonicae Philosophiae studiosissimus iussu Cosmae Medicei, a quo maxima tulit praemia, Platonem ipsum, et Platonicos, Iamblicum, Plotinum, Sinesium, Psellum, aliique alios, quos lon-

[a] Et lege sancivit ut secunda Roma vocaretur, *Socrat. lib. VII. cap.* 16. Huc spectat illud Chronici Alexandrini. *Ῥώμην αὐτὴν δευτέραν χρηματίζειν ἀναγορεύσας* & ut secunda Roma vocaretur praecepit.

longum esset enumerare. Horum doctissimorum virorum studio, ac labore brevi effectum est, ut Italia tribus pulcherrimis ditata linguis ad id gloriae, et famae pervenerit, ut pars Europae cultior, atque sapientior merito haberetur, et exterae, finitimaeque regiones ab ea, veluti e promtuario quodam, doctrinam, ac sapientiam haurire cogerentur; nunc vero, proh pudor! conversis moribus, et studiis, non vitio, et culpae, verum laudi, et gloriae sibi ducit maximae, non modo vivendi, et vestiendi genus, verum et doctrinam, et *insanientem* persaepe *sapientiam*, ut Horatii verbo utar (*a*) servili prorsus imitatione ab exteris, finitimisque regionibus emendicare. Nihil est quod heic Bembos memorem, Casas, Sadoletos, Barbaros, Naugerios, Manutios, Sigonios, Sannazarios, Muretos, aliosque sexcentos, quorum pervulgata sunt nomina, quique tanta verborum elegantia, nitore, suavitate, munditia in utroque sermone usi sunt, ut saeculum XVI. quo praesertim floruerunt, quod aureo Augusti saeculo invideat nihil habuisse videatur. Nihil est praeterea quod memorem Vulpios, Lazarinios, Bassa-

[a] *Lib. 1. od. XXXIV.*

Baſſanos, Lagomarſinios, Zampierios, Dandinios, ut noſtros quoque ex iis nominem, qui aevo noſtro vixere, quique tumorem, et putidum illud, inſulſumque dicendi genus, quod nimia fortaſſe ingeniorum luxuria, et novitatis amore in poeſim praeſertim, et oratoriam saeculo ſuperiore irrepſerat, amoverunt, et *leporem a ſcurrilitate, magniloquentiam a tumore, munditiam a ſordibus, et nativum romani oris ſonum ab importuna peregrinitate fugarunt* (*a*). Accedit eo tot ſcholarum atque Academiarum inſtitutio, tot cujuſque facultatis praeceptores, tot librorum copia, ex quo praeſertim ars typographica non multis ante ſaeculis inventa, aut e Sinarum populis in Europam invecta eſt, qua doctorum hominum elucubrationes tam late propagatae, ita facili negotio, exiguoque ſumtu comparari poſſunt, ut uni ſocordiae, atque pigritiae, fortaſſe etiam opulentiorum avaritiae, qui opibus elati, ſibique unis adblandientes (*), aut pauperio-

[a] *Gravina de conversione doctrinarum ad I. Gabrielem Reginerium.*

[*] *Legatur hac de re Dionyſius Longinus, qui Philoſophum quemdam ita loquentem inducit:* περὶ ὕφους τμημδ. Ἀκολουθεῖ γὰρ τῷ ἀμετέρῳ πλούτῳ κ̉ ἀκολάστῳ συνημ-

periores litterarum cupidos, bonarumque artium ſtudioſos ſuſque deque habent omnes, aut nullam iis ferunt opem, tribuendum ſit, ſi pauci admodum hiſce temporibus, ut bonorum ferunt vota, proficiunt, quum optima, ac praeſtantiſſima in noſtris ceteroquin civitatibus enaſcantur, ac floreant ingenia.

XXXV. Huic tam vetuſtae, tam nobili, tam eruditae linguae, regnorum olim, gentiumque dominae in Italia ipſa, ubi primum ortum duxerat, ubi innutrita, atque ad perfectionis gloriaeque culmen evecta eſt, ſui numquam defuere obtrectatores, atque adverſarii; ex quo praeſertim, recens illa italica orta eſt, cuius venuſtate, ac lenociniis adeo capti

---

συνημμένη, καὶ ἶσα, φασὶ, βαίνουσα, πολυτέλεια, καὶ μαλακία, ἀνοίγοντος ἐκείνου τῶν πόλεων, καὶ οἴκων τὰς εἰσόδους, εἰς ἃς ἐμβαίνει, καὶ συνοικίζεται. χρονίσαντα δὲ ταῦτα ἐν τοῖς βίοις, νεοττοποιεῖται, κατὰ τοὺς σοφοὺς, καὶ ταχέως γενόμενα περὶ τεκνοποιΐαν, ἀλαζονείαν τε γεννῶσι, καὶ τῦφον, καὶ τρυφὴν, οὐ νόθα ἑαυτῶν γεννήματα, ἀλλὰ καὶ πάνυ γνήσια. Εάν δὲ καὶ τούτους τις τοῦ πλούτου τούς ἐκγόνους εἰς ἡλικίαν ἐλθεῖν ἐάσῃ ταχέως δεσπότας ταῖς ψυχαῖς ἐντίκτουσιν ἀπαραιτήτους, ὕβριν καὶ παρανομίαν, καὶ ἀναισχυντίαν. Sequitur enim nimias, & immodicas opes coniuncta, atque pari, ut aiunt, illas paſſu comitans ſumtuoſitas, nec non mollities, portas illis urbium &c.

capti ſunt nonnulli, ut unam expetendam, unam colendam, unam, ut ita dicam, procandam putarent: latinam vero tamquam effoetam anum, turpem, rugoſam, edentulam, deliram reſpuerunt. (*a*) Multum hac ſuper re digladiati ſunt inter ſe ſaeculi XVI. ſcriptores, editis heinc inde ſcriptis, et libellis; quorum tamen controverſiae iam tum obſolevisſent, parvique ducerentur, niſi noſtra hac tempeſtate a Paullo Zambaldio (*b*) praeſertim in Italia: noviſſime a viro clariſſimo Iohanne Alembertio (*c*) in Gallia excitatae eſſent, quorum uterque contendit latinam linguam neque intelligi, neque perdiſci, neque ſatis eleganter adhiberi poſſe. Alembertii argumenta quotquot adduci poterant ab erudititiſſimo viro, mihique amiciſſimo Hieronymo Ferrio Faventinorum olim Rhetore, nunc autem in Pontificia Ferrarienſi Academia Philologo ſatis retuſa ſunt quinquaginta epiſtolis ad viros doctiſſimos datis. (*d*) Quae a Zambaldio adferuntur

F

[a] *H. Lagomars. orat. de lingua lat.*

[b] Oſſervazioni critiche intorno la moderna lingua latina del Sig. Paolo Zambaldi Gentiluomo Feltrino. *Ven.* 1740.

[c] Sermon ſur l'Harmonie des langues, & ſur la latinitè des modernes.

[d] Prodierunt Faventiae una cum commentario de rebus geſtis, et ſcriptis Hadriani Caſt. Cardinalis. *Apud Archium* 1771.

runtur haud mihi arrogantiae, aut nimiae confidentiae tribui velim, si aut refellere, aut certe ad examen revocare adgrediar, ut quantum in latinam linguam aequus, aut iniquus vir ceteroquin doctissimus extiterit, adolescentibus praesertim adpareat.

XXXVI. Principio recte ait Zambaldius, et vetus querimonia est, nimium temporis in scholis consumi in addiscendis vocabulis, quod utilius in scientiarum adquisitione, earum praecipue, quae ad sublimiores facultates viam quodammodo sternunt, ab adolescentibus impendi valerent: tenerae enim puerorum mentes rerum potius notionibus, quam vocabulorum moventur, et, rerum cognita natura, facilius earum nomina memoria tenentur; latinae vero linguae studium, quum omne circa vocabula versetur, ad maturiorem, firmioremque aetatem differri posset, qua plus fortasse progressus unius anni curriculo fieret, quam plurium annorum in pueritia. Egregie quidem et sapienter! ita enim experientia compertum est et graecam, et gallicam, et alias linguas facilius provectiori aetate perdisci. At quotusquisque in Italia praesertim reperietur praeceptor, qui hoc cum dignitate praestare valeat, quum et ii ipsi, qui scholis praeficiuntur, in hac methodo ut plurimum alti,

atque

atque innutriti, ne a limine quidem ſcientias, quae pueros decent, ſalutarint? Age reperiatur: at quinam tanta eſt auctoritate ut veterum inſtituta immutare audeat, novamque docendi methodum in ſcholas praeſertim publicas inducere? Ipſe ego, fatebor enim, non ſemel amice admonitus ſum, ne graecas litteras publice docere, aut cum latinis coniungere, ut inſtitueram, auderem, ne a quibuſdam novitatis incuſarer. Hoc Principum eſſet, et Magiſtratuum, qui tamen gravioribus plerumque occupati negotiis, de puerorum inſtitutione, deque praeceptorum delectu, eorumque dignitate tuenda, quae non minimi certe facienda ſunt, non eo fortaſſe, quo par eſt, modo, videntur eſſe ſolliciti. Nolim tamen pueros, dum hiſce ſcientiarum elementis operam navant, et nominum declinationes, et verborum coniugationes, et praecipuas italicae linguae regulas negligere, ut, quum ad id aetatis, quo impenſius in latinae linguae ſtudium incubuerint, minutiorum harum cognitionum haud expertes, illico ad bonorum auctorum interpretationem convolare valeant: non ſecus ac ii, qui grandiori iam aetate graecarum litterarum ſtudio animum adiungunt ſuum, nihil in Grammaticorum terminis addiſcendis immorantes, ſtatim alicuius aut ora-

 toris,

toris, aut poetae libros interpretandos adgrediuntur.

XXXVII. Quod autem ait, rectam illam veterem latinae linguae pronunciandae rationem iamdiu esse deperditam, et a nobis penitus ignorari: id licet verum esse magna saltem ex parte concedi possit, non inde tamen consequitur ut latinae linguae puritas, atque elegantia a nobis perdisci non possit: pronunciatio velut extrinseca quaedam linguae dos, atque virtus considerari potest, quae nihil impedit, quominus eleganter nitideque loqui, aut scribere valeamus. Quis enim tam iniquus est rerum aestimator, ut adfirmare ausit epistolas, aut libros, quos Tullius ad amicos misit, non aeque elegantes fuisse, atque orationes, quas coram populo, aut in Senatu pronunciavit? Quis dixerit T. Livium, Cornelium Nepotem, Catullum, Terentium, Phaedrum, Plautum, Virgilium ipsum, et alios haud eleganter scripsisse, eo quod Romae nati non fuerint, atque aliter fortasse quam Cicero, Hortensius, Gracchi, ceterique Romani latinas voces pronunciarint? Quis pari ratione probandum sibi sumserit Venetos, Ligures, Neapoletanos, Romanos recte italicam linguam perdiscere non posse, eo quod non ea, qua Florentini, aut Senenses, alii-

que

que etrusco caelo nati utantur in pronunciando venustate? Credibile est etiam diversis temporibus diversam fuisse latinae linguae pronunciandae rationem, ut aliter Ennius, et Naevius; aliter Caesar, et Tullius; aliter Tacitus, et Plinii pronunciarint: numne propterea dicendum est Ennium, et Tacitum, et alios latinam non calluisse linguam? Praeterea quicumque non leviter tantum, et perfunctorie in huiusce linguae studium incubuerit non adeo difficili negotio aut percipere, aut certe e vetustis codicibus, nummis, et inscriptionibus, e Grammaticorum regulis, et observationibus, Diomedis, Prisciani, Lipsii, Quinctiliani, Vossii, Donati, aliorumque vetustiorum coniicere poterit quaenam fuerit germana veterum latinorum pronunciatio, ut legitimum illius sonum recte callere valeat. Quod si pronunciatio adeo linguarum comparationi officeret, supervacaneum profecto esset nos et graecae, et hebraicae operam navare, quum recta illarum pronunciatio non satis nobis innotescat: quod idem dici posset de gallica, teutonica, anglica, ceterisque, quum Itali nativam, germanamque illas efferendi rationem numquam adsequi valeamus. Sed nos ut plurimum hasce perdiscimus linguas, ut libros intelligamus, ut purius ex ipsis fontibus hau-

riamus doctrinas, ut interdum scribamus, raro autem ut loquamur, quum in quotidiano, communique sermone italica nostra venusta satis, atque eleganti utamur, cuius virtutes dotesque Italis quibusque cultioribus cognitae esse debent. Quare ex hoc capite Zambaldium, aut Alembertium ipsum, qui suas adversus latinam linguam criminationes e Zambaldii libello excripsisse videtur, nihil aliud consequutos arbitror, nisi Italos, aut alios, qui latine studeant, antiquam illius linguae pronunciandae rationem aliquantulum immutasse, et ad recentiorem suam adcommodasse; quae quidem non ea, quam sibi fingunt, clades esse videtur; quum nihil interea de illius venustate, elegantia, atque integritate deperierit.

XXXVIII. Perstat Zambaldius, et longiore dialogo subtiliter contendit posse nos quidem ciceronianis uti verbis, et phrasibus, non ideo ciceronianos esse; proprie scilicet latine loqui, quum non eae, quae olim, latinis vocibus subiiciantur notiones, aliaeque, quibus exprimendis modo verba non suppetunt, emerserint. Quod utique verum esse posset, si inani verborum sonitu contenti, nihil ultra perquirerent qui latinae linguae studio operam navant; qualem Euresilogum illum suum effin-

effingit Zambaldius in verborum catalogis, putidisque adversariis efformandis; in pedibus, syllabisque dimetiendis solummodo occupatum: verum quia doctorum lingua, atque eruditorum latina semper fuit, qui recte eam callere concupierit, eum in philosophicis facultatibus; in romana historia, sine qua nihil, aut parum proficiet; in ritibus, religione, aliisque disciplinis edoctum esse oportebit, ut intimam verborum vim, ac proprietatem, omnesque, quae verbis subiiciuntur, notiones recte valeat percipere; quod quidem in tanta litterarum luce, in tanta scriptorum, interpretum, ac criticorum copia, qui perpetuis commentariis, observationibus, enarrationibus, animadversionibus auctores singulos illustrarunt; qui origines perscrutati sunt; voces singulas definierunt; varias significationes perpenderunt, et de voculis persaepe, de minutioribus particulis, de syllabis ipsis, veluti pro aris, et focis ad fastidium usque concertarunt, haud multum erit difficile. Novis autem inventis rebus, novis inductis moribus, et ritibus quid vetat quominus nova imponamus nomina? *Sic certe fecerunt olim Latini, quum primum lingua sua philosophari coeperunt, quod nobis bodie non liceat nova proferentibus, nulla ra*

 tio

tio adferri potest. (*a*) Quapropter si nostro Latini reviviscerent aevo non aliis, credo, ad novas, quas in orbe invenirent, res exprimendas, uterentur verbis, quam iis ipsis, quae ab recentiorum usu veluti consecrata reperirent; nec fortasse Deum Optimum Maximum adpellarent *Iovem*, neque uterentur formulis, *litare Diis Manibus* ad significandum sacrificium pro Defunctorum animabus oblatum Deo; aut *igni*, *et aqua interdicere*, pro eo quod dicimus devovere, execrari, aut aliquem a Fidelium communione separare, graece ἀναθεματίζειν. Praeterea non una via est, et ratio una, qua res suis nominibus donare valeamus; circumscriptiones enim, circumloquutiones, tropi, similitudines, et cetera id genus sexcenta, quae notiones aut ampliare, aut minuere, aut iis quodammodo lumen adferre valent, magno esse possunt adiumento ut elegantibus, splendidisque verbis animi sensa patefaciamus. Quibus, si verba addamus e graeco fonte cadentia, parceque detorta, ut ait Horatius, magnam inde nominum, et vocabulorum segetem, ut etiam saepe factum est, in latinum sermonem derivabimus.

Ne-

[a] *Iohan. Cler. Art. critic. part.* II. §. I. *cap.* I. *num.* 9.

XXXIX. Neque velim propterea quemquam persuaderi sibi posse nos ad maiestatem illam, ad proprietatem, sermonisque elegantiam pertingere, qua veteres illi aureae latinitatis scriptores gloriabantur; neque enim Tacito, neque Pliniis, Senecae, aut aliis, qui sequiore aevo vixerunt, id contigisse compertum est, quos tamen recte latine, eleganterque scripsisse nemo fortasse inficiabitur. Quid de iis dicendum, qui post depulsas barbariei tenebras latine scripserunt, quum nonnisi Ciceronis imitatores fuerint, ita tamen diligentes, ita religiosi, ut aliquando stili similitudine minus attentis imposuerint, ut de Sigonio notum est? Quid de recentioribus nostris, qui servili illa reiecta imitandi ratione, quam Bembus, Longolius, Sadoletus, Bonamicus, aliique sequuti sunt, viam liberiorem ingressi, *floriferis ut apes in saltibus omnia libant* (*a*), sic selectissima quaeque, atque aurea a melioribus dapascentes, stilum sibi effinxerunt, qui licet neque ciceronianus, neque caesarianus, neque livianus dici valeat; latinus tamen est, politus, elegans, atque venustus, cuius fortasse latinum quemque scriptorem minime poenite-

[a] *Lucretius lib. III. v.* 11:

niteret. Suus cuique est orationis character, colorque proprius, quo laudem mereatur, et si ad illum perfectionis gradum, ad quem primi pervenerunt pertingere nequiverit; *quisque tamen eum teneat, quem poterit cursum; prima enim sequentem honestum est in secundis tertiisque consistere*, ut praeclare docet Cicero.

XL. Sed cursim haec adtigisse sufficiat, ne aut actum agere, aut lectorum intemperantius abuti videar patientia. [*] Ad ea potius paullisper sermonem convertamus, quae neque Zambaldius, neque Alembertius, nec sanus quisquam adfirmare ausus est, verum dicaculi quidam vel ad ingenii ostentationem, vel quia, quod ipsi ignorant, nihili putare solent, in vulgus, non sine bonarum artium detrimento, disseminare non desinunt: latinam scilicet linguam ad scientias comparandas minime

[*] Plurimi hoc praestiterunt, quorum catalogum contexere hominis esset otio abutentis: unum nominabo Paullum Manutium virum elegantissimum Praefatione ad Alfonsum Carafam Antonii Marchionis Montisbelli filium, qua suos ei dicavit commentarios Ciceronis epistolarum ad Q. Fratrem. Quam si legissent ii, qui se faciunt esse venustos publice iactando se *Gerundiis*, et *Participiis* indixisse bellum, haud equidem virum tam de latinitate benemeritum quasi latinae linguae osorem inepte traduxissent.

nime necessariam esse. Quid? nonne hi meminerunt Italos, cultioresque alias nationes si quid in scientiis, et liberalibus disciplinis profecerunt, multum autem profecisse constat, omnia a Latinis mutuatos esse, eosque omnem illarum fructum prope iure suo repetere posse? Nonne meminerunt scientias omnes, quum latina lingua floruerit, floruisse; eas, quum in summam barbariem deciderit, decidisse; rursus, quum squalore deterso in veterem possessionem, veluti postliminio immissa est, et ipsas ad pristinum splendorem revocatas esse; immo maximum incrementum accepisse? Nonne sciunt latinam linguam cultissimis quibusque nationibus semper in amore, atque in deliciis fuisse; doctorum, atque eruditorum, ut non semel diximus, linguam semper adpellatam fuisse, atque adpellabitur, donec pretium litteris manebit? Neminem adhuc vere doctrinae fama claruisse quin eam adamaverit, atque excoluerit; neminem probe illam calluisse, qui rudis, indoctusque audierit? Unde Philosophi, Medici, Iurisconsulti, Philologi tantos doctrinarum thesauros, tantas opes hauserunt, atque haurient, nisi a Latinorum scriptis, monumentis, elucubrationibus? Qui autem sacris se addixerint quomodo latinis litteris carebunt,

quum

quum iis quotidie latine orandum ſit; quum ſacras litteras, Canones, Patres, Concilia legere, atque interpretari debuerint? Praeterea nonne etiam num apud Pontifices latinae orationes habentur; nonne in conſiſtoriis, in tota Eccleſia, in rebus quibuſque gravioribus latine loquendi mos eſt? At piget miſericordes hos homines tantum temporis, et laboris in ea addiſcenda conſumi. Perbelle illi quidem! Verum quum nos hoc labore levare volunt, nonne ad maiores adigunt, quum et gallicam, et anglicam, et germanicam, et alias linguas nobis addiſcere opus erit, ſi aut ab exteris nationibus intelligi, aut earum ſcripta nos intelligere voluerimus? Praeterea nonne qui linguarum ſtudio operam navat, res ipſas eodem tempore perdiſcere cogitur? ὅς αἰ τά ὀνόματα εἰδῇ, ἔπεται καὶ τά πράγματα, praeclare aiebat Plato (a). Atque heinc fortaſſe eſt cur Salmaſii in primis, Scaligeri, Bocharti, aliique ſimiles ad illud doctrinae, atque eruditionis quaſi miraculum pervenerunt. Sed quid verbis opus eſt? Riſu potius inepti homines, quam argumentis refellendi, quum opinionem nobis

[a] Qui gnarus eſt verborum, gnarus eſt rerum. *Plato in Cratylo.*

nobis obtrudere conantur, qua nihil litteris perniciosius, nihil Religioni fedius, nihil hominibus insipientius excogitari potest.

XIL. Sed qualicumque huic Dissertationi finis sit; neque enim omnia persequi animus fuit, et unius exercitationis caussa eam me suscepisse profiteor; si autem humaniorum praesertim litterarum studio addictis adolescentibus, quibus certe haud erit inutile aliquid nosse de variis illius linguae fatis, cui addiscendae tantum operae, et studii in scholis impendunt, quidquam adiumenti adtulero, magnum me et laboris, et diligentiae meae tulisse praemium arbitrabor.

F I N I S.